
Isac Vossius

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11


1 A.6

1.6.11.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

VII.
ANON

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

DE POEMATUM CANTU ET VIRIBUS RYTHMI.



OXONII

E THEATRO SHELDONIANO.

AN. DOM. M DC LXXIII.

Proſtant *Londini* apud *Rob. Scot* Bibliop.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Aliter enim ſi eſſet, vix è multis millibus reperiri poſſit unus, qui non ſibi ipſi ſit odio, vitamque pœnæ loco non habeat: ut merito credi poſſit Naturam, veluti mitiſſimam matrem, beneficii & ſolatii ergo miſeris hanc mentem indidiſſe mortalibus, ut omnia potius quam ſeipſos cognoſcant. Quantum hac in parte humani caligent animi vel inde intelligere eſt, quod ſi quis univerſum peragret terrarum orbem, & ſingulorum exquirat ſuffragia, ne unum quidem inveniat qui alios ſapere permittat, ni & ipſe ſapientibus annumeretur; neminem quoque qui ſe fatuum dici patiatur, niſi eodem nomine cenſeantur plerique. Quod ſi animus æque ac vultus pateret, liquido cognoſceremus nulli unquam monarchæ tantas quemquam dixiſſe blanditias, quin multo plus blandiantur ſibi etiam ultimæ conditionis homines. Infelicitatem merito dixeris, tollas tamen hunc errorem, ſimul quoque pars magna humanæ tolle■tur felicitatis. Non deſunt itaque complures qui hoc ut credo præ-

cipue

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

cipue persuasi argumento, quascunque libenter insectantur scientias, & improbe eos facere dictitant, qui quas ipsa sanxit Natura leges infringere cupiunt; relinquendos enim homines suis esse moribus, pessimeque de humano mereri genere, qui eos de statu innocentiæ deturbare conantur: nec inhumanitatis tantum, sed & quoddam sævitiæ esse genus eripere illis eam voluptatem, qua sola contra quascunque fortunæ casus se tueri valeant. Verum quam injusta sit hæc ratio vel illi ipsi qui sic sentiunt satis declarant, cum nemo inter eos reperiatur, qui non excellere studeat, libenterque ab ea quam aliis imponat lege se exemtum velit. Quod vero putant simplicitatem & inscitiam, quia ordine temporis prior sit, idcirco etiam magis esse naturalem; quid hoc quæso aliud est, quam Naturam fingere semper infantem, semperque desipientem? Ecquis tamen dubitet illam ipsam esse quæ hominibus artes & scientias omnes ostenderit, quas postea utilitate suadente

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO

Domino Comiti

ARLINGTONIÆ

S. R. M. a Conciliis Sanctioribus,
Primario Status Secretario,
Nobiliſſimi Ordinis
Periſcelidis Equiti, &c.

NULLA unquam fuit ætas, illuſtriſſime Domine, quæ non vel nimium bene, vel male nimium, de ſuis ſenſerit rebus & moribus. Plerunque videre eſt illos, qui non poſſunt eo quo vivunt Seculo ad aliquem emergere ſplendorem, acerrime de ſuis conqueri temporibus: alios vero qui benigniore utuntur fortuna, adeo præſentia laudare omnia, ut ea ſolum tempora, quibus ipſis tam bene ſit, optima & cultiſſima eſſe exiſtiment. Licet quamdiu humanum genus, tamdiu iſta etiam judiciorum fuerit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

rit diverſitas, longe tamen major eorum ſemper fuit numerus, quibus ſua impenſius placuerint tempora; non tantum quod humanitatis ratio exigat, ut de iis quibuſcum vivimus, benigne ſentiamus; verum multo etiam magis, quod cum omnis amor & affectus à ſe ipſo incipiat, libenter ea laudemus ſecula, quorum haud contemnendam partem unuſquiſque ſibi conſtituere videatur. Manifeſtum hujus rei argumentum exinde petere licet, quod innumeri reperiantur etiam miſerrimi mortales, & quibus nullus ne in ſuo quidem locus eſt ſeculo, qui tamen adeo magnifice ſuam jactant ætatem, ut ſerio iraſcantur & injuria ſe affici putent, ſi alia quam quibus ipſi interſint nimium laudentur tempora. Prudens nempe & benevola rerum creatrix, adeo bene humano conſuluit generi, ut cum de aliis conquerantur omnibus, nemo tamen non ſuo contentus vivat ingenio; quodque merito mirere, quanto quiſque minus valet intellectu, tanto de ſe ſentiat ſuperbius.

Aliter

alii aliis tradiderint? Frustra quoque culpantur artes, quod ex illarum inventione multa quoque mala hominibus contingant, ac si id Naturæ fiat vitio, & non potius illorum qui Naturæ muneribus abutuntur. Quin magis spectanda erat bonorum copia, quæ ex usu rationis & disciplinæ vitæ accessere humanæ; id si fiat, illud quoque agnoscamus oportet, non inhumanitatis, sed beneficentiæ esse indicium, ista auferre quæ minus commoda & utilia sunt, & vicissim largiri quæ magis prosint, & quibus magis sibi blandiantur mortales. Quam grati illi fuerint erga omnes eos qui vitæ juvere commoda, satis docent honores primis rerum inventoribus habiti, quod utique factum non fuisset, si male de humano genere fuissent promeriti. Sed tamen cum ea sit humani conditio ingenii, ut licet multis aliquis prosit, nunquam tamen desint quibus invisum & molestum sit quidquid à communi usu & recepta abhorret consuetudine; utique etiam non defuturos præ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

video, qui non ſatis æquo ferant animo, quod cum uſque adeo noſtra hac ætate cantus placeat hodiernus, non tantum ſeculi non acquieſcam judicio, ſed & nihil eo fallacius eſſe exiſtimem. Ecquis enim dubitet quin ſibi ſuiſque nimis placere & bene velle perpetuus & univerſalis omnium ſemper ſeculorum fuerit morbus? An fieri aliter poteſt, ut qui ſui tantum ſeculi res intelligunt, melius de aliis judicent temporibus, quam de aliis terris & regionibus, qui patrium nunquam exceſſere ſolum? Si recte argumentum colligere velimus, res ipſe perpendendæ & ſecula ſunt committenda ſeculis, ut ex temporum & rerum collatione veritas eluceſcat. Qui itaque noſtræ ætatis muſicam præferunt antiquæ, explicent velim quanam fiat ratione, quod cum tanta verborum ſermoniſque ſit potentia, ut ſi quis facundus fuerit, quoſvis in animis hominum motus concitare valeat, idem tamen ille ſermo cantu ornatus & modulis aſtrictus muſicis, non proinde atque olim au-

res

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

res ſenſuſque afficiat, ſed adeo longe infra efficaciam cultæ orationis ſubſiſtat, ut nullus hoc tempore reperiatur Muſicus, qui vel mediocriter diſertum audeat provocare Oratorem. Inter eos qui hujus rei cauſam inveſtigare conati fuere, non deſunt complures, qui putent veteribus notum fuiſſe aliquod harmoniæ genus ignotum huic ſeculo. Alii exactiori in exprimendis & collocandis hemitoniis totum hoc tribuunt ſtudio. Indoctiores, more ſuo, fabuloſum vocant quidquid ipſi non intelligunt, aut efficere nequeunt. Ut vero omnino explodendi ſunt iſti, ita neque priorum acquieſco ſententiæ. Licet enim libenter aſſentiam iis, qui antiquos etiam ea muſicæ parte quæ harmoniam ſpectat, hodiernis cantoribus præſtantiores fuiſſe cenſeant, minime tamen harmoniæ adſcribenda eſt inſignis illa movendorum affectuum poteſtas. In cantu tria præcipue notanda ſunt, harmonia, ſermo, & rythmus. Harmonia verſatur circa ſonum. Sermo circa intellectum

verborum & distinctam enuntiationem. Rythmus circa concinnum cantici motum. Harmoniam quod attinet, quantumvis copiose eam pertractare conati sint recentiores, non tamen adeo argumentum hoc exhausere, ut non multo plura dicenda reliquerint. Notandumque imprimis pleraque meliora, quæ in musicorum hujus & præteriti seculi occurrunt libris, è veterum scriptis esse depromta. Negari tamen non potest quin hanc musicæ partem longe diligentius quam duas reliquas excoluerint: eas quippe vel penitus neglexere, vel ita tradidere, ut quævis potius quam quæ dicenda eßent monuerint. Quippe cum omnis cantus aut harmonia quantumvis elegans, si & verborum intellectus & motus absint aliquid significantes, nihil nisi inanem continet Sonum; nemini mirum videri debet, abesse ab hodierna musica eam virtutem, quæ tantopere in veteri prædicatur. Siquis hujus seculi audiat cantores, vix decimam partem eorum quæ canuntur intelliget. Pro-

ducendo

ducendo breves, & longas contra naturam sermonis corripiendo syllabas, ac decies sæpe eadem repetendo vocabula, adeo deformant & mutilant veram & legitimam pronuntiationis rationem, ut sensum carminis penitus deleant. Solum si exceperis scenicum & recitativum, ut Itali vocant, cantum, vix aliam hoc tempore audias musicam, in qua verborum habeatur ratio. Et tamen hæc ipsa recitativa, ut appellatur, non ita distinctam continet enuntiationem, ut non sæpissime in syllabarum peccet quantitate. Nec solum istoc, sed & alio quoque præcipue laborat vitio, quod rythmo, id est concinno carminis motu, qui est veluti anima cantus, penitus destituatur. Quapropter non inutilem mihi videor suscipere operam, si & naturam & mirandam rythmi in movendis & concitandis affectibus potestatem, brevi persequar scripto; in quo si non omnia dixero quæ argumenti exigit dignitas, hæc ipsa tamen quantumvis pauca sufficient forsan ad excitandos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

tandos eos, qui feliciori ingenio eandem plenius persequantur materiam. Peto autem ne mihi fraudi sit apud te, Illustrissime & Excellentissime Domine, quod vetustatis studiis & inventis plus tribuam quam hodiernis. Seculo non sum infestus; faveo ex animo illis, qui bene de eo mereri conantur. Sed iniquum inprimis mihi videtur, ita nostris addictum esse temporibus, ut in eorum admiratione omnes nostros exhauriamus affectus. Sufficiat nostræ tempestatis hominibus, ut de duodecim aut pluribus, quæ præcessere, triumphent seculis. Si omnibus ætatibus & universo ævo, aut pares, aut superiores se existiment, ludibrium proculdubio debebunt posteris. Excutiantur omnes bibliothecæ, fateamur necesse est, meliora esse ea, quæ à vetustate nobis relicta sunt monumenta. Quod ampliati sint sensus, quod ingeniis aliquis accesserit cultus, totum hoc illis debetur, nec alio nomine felicior possit videri hæc nostra ætas,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

quam quod huic docendæ tot priora invigilarunt secula. Etiam in illis artibus, quæ ad fallenda vitæ tædia & comparandas honestas faciunt voluptates, quanto inferiores simus, libenter forsan agnosces, si Regis Regnique negotia, quæ neminem æque ac Te premunt & obruunt, patiantur ut vel tantillum iis immoreris. Digna profecto hæc quoquæ materia, in qua se exerceant, qui vel sibi, vel aliis prodesse cupiunt. Non sum adeo mihi amicus, ut singulare aliquid mihi præstitisse videar; interim si non omnino intempestivus iste libellus videatur tibi, Illustrissime Domine, quo nemo melius judicat de omnibus iis, quæ in plerisque scientiis præclara sunt vel utilia, facile concoquam secus sentientium judicia: neque enim me fugit, quam sit difficile sensus tot seculorum autoritate imbutos & insessos repente expugnare. Satis mihi erit si hoc unum obtinuero, ut de veterum cantu benignius, de suo vero modestius sentiant hodierni musici.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ſici. Quod ſi neque hoc adſecutus fuero, & inutilem videar ſuſcepiſſe laborem, nihil tamen propterea, ut ſpero, Tuæ erga me decedet benevolentiæ. Tuum eſt vitia odiſſe non homines; mihi niſi fallor ſufficiet, ſi ſcriptis aut potioribus obſequiis parum valeam, vel ſolo bene merendi deſiderio animum oſtendiſſe. Attamen ſi cultui & obſervantiæ, qua Te proſequor, non ſatis dignum videatur hoc qualecunque ſcriptum, à quovis alio potius, quam à tuo Coſmopolita, illud ad te perveniſſe exiſtimes.

LONDINI Anno Chriſtianorum
CIƆ IƆC LXXI.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

DE POEMATUM CANTU ET VIRIBUS RYTHMI.

NON malè ſenſiſſe videntur illi, qui Poëtica nullam aliam artem antiquiorem eſſe exiſtimant. Quippe, ſi quamdiu homines fuere, tamdiu quoque cantandi conſuetudo viguerit, ab ipſis utique mundi incunabulis arceſſenda fuerit artis hujus origo. Sed quandoquidem omnium cantuum non eadem eſt ratio, nec ſilvis deſint canoræ aves ſoni acumine & præſtantia nihilo humanis vocibus deteriores; neceſſe eſt ut diſcrimen ſtatuamus inter cantum nudum ſeu ſimplicem, & alterum qui verbis & vocabulis eſt adſtrictus. Talem cum ſoli poſſint fundere homines, clarum quoque eſt ad hos ſolos poëticæ uſum pertinere. Nec tamen propterea omnes qui carmina canunt poëtæ dicendi ſunt; quamvis videam complures ſic arbitrari, propterea quod qui poëtæ, eoſdem etiam muſicos olim fuiſſe conſtet. Ego vero longe aliter exiſtimo, præſertim cum vel ipſum poëſeos vocabulum manifeſte huic ſententiæ repugnare videatur. Illud quidem certum, omnem poëſin olim cantatam fuiſſe; ſed ſolos poëtas cantores poëmatum ſuorum fuiſſe, nemo ſanus dixerit. Hoc nempe diſcriminis inter utroſque erat, quod illi qui carmina faciebant, poëtæ, qui vero ea cantabant, cantores, vel, honoratiori nomine, muſici dicerentur. Si itaq; primitivam vocabuli acceptionem ſpectemus, poëſis vel poëma nihil aliud

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

fuerit, quam qualiſcunque compoſitio cantui apta. Unde ſequitur, quicquid non canitur aut cantari nequeat, non eſſe poëma, uti ex iis quæ poſtea dicentur clarius patebit. Qualia vero fuerint primorum hominum carmina, nemo, ut opinor, adfirmaverit, cum nulla ſuperſint monumenta unde certi aliquid explorare poſſimus: ſed cum omnes artes in vilibus & ſimplicibus quam diutiſſime ſoleant ſubſiſtere principiis, priuſquam ad ſummum culmen emergant; fieri aliter nequit, quin idem quoque poëticæ acciderit, cum ipſa quoque exigat ratio, carmen prius repertum fuiſſe, quam carminis legem. Hebræorum qualis fuerit poëſis, adeo nobis ignotum, quam quod ignotiſſimum: nam quæcunque de hac ſcripſere nonnulli, iſtiuſmodi ſunt, ut longe melius fuiſſet ea tacuiſſe. E ſolis propemodum Græcis hauriendum eſt, quicquid ad poëticam pertinet; cum & copioſius & felicius quam ulla alia gens artem hanc excoluerint, & monumenta reliquerint, unde cognoſcere poſſimus, ad quam ſublime faſtigium provecta ab iis fuerit hæc ſcientia. Quod Latinos attinet, de his opus non eſt ut quidquam dicamus, cum in omnibus Græcos ſecuti ſint, &, præter imitationis ſtudium, novi nihil addiderint. Ab his itaque exempla, à Græcis, præter exempla, etiam præcepta artis petas licet. In tanta tamen Græcorum librorum copia qui hodie etiamnum ſuperſunt, nullum antiquæ illius poëſeos ſpecimen invenias; in eo tamen plerique ſcriptores convenire videntur, priſca carmina pedibus & numeris caruiſſe, ideoque prorſus invenuſta fuiſſe. Nec aliter ſenſit Quintilianus, cujus poſtremo libri noni capite hæc legas; *Poëma nemo dubitaverit imperito quodam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

dam initio fuſum, & aurium menſura & ſimiliter decurrentium ſpatiorum obſervatione eſſe generatum, mox in eo repertos pedes. Quod ſi pedibus, omnino etiam rythmo deſtituta fuere, cum ex apta pedum conſtitutione rythmus oriatur. Quantum vero decoris & majeſtatis è pedibus & legitima illorum collocatione carminibus acceſſerit, operæpretium fuerit paullo diligentius inquirere; idq; eo magis, quod videam pleroſque qui de Poëtica ſcripſere, cum minutiſſima, etiam ad rem non facientia, diligentiſſimè perſequantur, metricam tamen & rythmicam, quæ eſt velut anima hujus artis, aut reliquiſſe intactas, aut certe non ea qua debuerant ratione explicatas tradidiſſe.

De pedibus primo dicendum, utpote qui ordine rythmo priores ſunt. Horum officium quamvis vel ipſum vocabulum ſatis declarare videatur, quia tamen hoc noſtro ſeculo non deſunt, qui non ſupervacuum tantum, ſed etiam vitioſum eorum exiſtimant uſum, non, ut opinor, erit intempeſtivum, & vanam horum adſertionem diluere, & ſimul pedum ſtabilire neceſſitatem. Dicunt gratiora & & perfecta magis eſſe carmina, quæ fluminis inſtar prono alveo & nullas moras objiciente molliter decurrant, quam quæ diſtinctis paſſibus, veluti objectis totidem obicibus, incedant. Sed vero naturam pulcri & venuſti non intelligunt, qui placere & vehementer afficere poſſe putant quidquam, quod continuum nulliſque membris & articulis diſtinctum ſit. Bene Cicero; *numerus in continuatione nullus eſt, diſtinctio, & æqualium & ſæpe variorum intervallorum percuſſio, numerum conficit; quem in cadentibus guttis, quod intervallis diſtinguuntur, notare poſſumus, in amni præcipitante non*

 poſſumus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

possumus. Circumfer quaquaversum oculos, nihil usquam simplex & incompositum invenias, quod delectet & sensus mulceat. Tollas compositionem & partium varietatem, simul quoque tolles pulcritudinem. Cum enim omnis decor & venustas è symmetria seu partium commensu oriatur, clarum quoque est, symmetria carere quidquid unum sit & partibus careat. Sed cum non perinde se habeat partium situs, multaque passim in rebus occurrant, quæ licet è variis copulentur membris, oculos tamen sensusque offendant; ratio & experientia docuit, solam partium collectionem non sufficere ad conciliandam pulcritudinem, nisi etiam accedat apta dispositio, & partium inter sese velut mutuus consensus. Insuper & hoc observandum, ut non tantum sibi mutuo, sed & rebus, & personis, quibus aptantur singula, conveniant: id enim si fiat, nihil omnino supremo deërit ornatui; qui quidem tanto elegantior & conspectior fiet, quanto partium inter se conspirantium major fuerit copia & varietas. Hæc licet pluribus nota, ideo tamen monere necesse habuimus, ut clarius innotescat, quanta fuerit Veterum industria & sagacitas in perficiendis iis omnibus, quæ ad carminum præstantiam & majestatem pertinere viderentur. Primo enim observarunt, non sufficere ut quilibet versus æquali syllabarum numero absolvantur; sed ut illi cantui aptentur, necessario etiam hoc requiri, ut temporum ratio in singulis syllabis sibi constet. Huic malo facile occurrere potuerunt, dividendo quasvis syllabas in longas, & breves, & ambiguas. Deinceps cum animadverterent, non concinne moveri versus, quod continui essent, & membris carerent; syllabas distribuerunt in classes,

ac

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ac pedes commenti ſunt, è duarum, trium, pluriumve ſyllabarum complexione, ut nempe his velut menſuris & intervallis cantuum verſuumque inceſſus diſtingueretur.

Sed cum non perinde ſe habeat quilibet inceſſus, nec ſatis ſit membra moveri, niſi affectibus, quos exprimunt, motus habuerint convenientes; diverſorum temporum & modorum pedes excogitarunt, quibus non tantum conſpicuos corporis motus, ſed & latentes ſenſus, & quoſvis animi mores vivide adeo repræſentarent, ut nihil propemodum in rebus ſit, quod cantu & numeris ſuis non effingerent. Ut vero ſingulorum pedum vim & efficaciam intelligamus, operæpretium fuerit ordine illos perpendere. Incipiamus à quatuor diſyllabis.

Pyrrichius ut primus ordine, ita dignitate poſtremus, cum è duabus brevibus conſtet ſyllabis, volat potius quam currit. Nullum ex eo alicujus momenti conſtitui poteſt carmen, cum numero & pondere pene careat. Aptus duntaxat ad celeres motus exprimendos, cujuſmodi erant armati ſaltus Corybantum apud Græcos, & Saliorum apud Romanos; unde etiam à mobilitate dictus creditur quaſi totus igneus.

Huic contrarius ſpondeus, qui è duabus conſtat longis. Hic pes inceſſum habet tardum & magnificum, itaque rebus gravibus, & maxime ſacris, vel ipſo atteſtante vocabulo, imprimis adhibetur.

Iambo nullus uſitatior pes, omnibus temporibus & ab omnibus pene gentibus præcipue frequentatus. Inceſſum & percuſſionem habet inſignem & virilem, cum à brevi incipiat & deſinat in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

motum gravem. Eſt itaque non acer tantum & bellicus, ſed & mordax & iracundus, ſic dictus ab ἰάπτειν, id eſt, θυμοῦσθαι, δάκνειν, ἰάπτειν, ut interpretantur Grammatici.

Iambo oppoſitus trochæus, à longa incipiens, & in brevem deſinens ſyllabam. Debilem & muliebrem prorſus pes iſte imitatur motum, vehemens in initio, ſed cito deficiens. Quapropter lenibus & amatoriis affectibus exprimendis eſt aptus.

In triſyllabis pedibus major motuum ſeſe offert varietas. Octo illi ſunt numero, ſed qui frequentius occurrunt ſunt tribrachys, moloſſus, anapæſtus, dactylus.

Tribrachys, qui totus conſtat è brevibus ſyllabis, vilis, humilis, minimeque virilis eſt, è quo nihil generoſum confici poſſit, ut monet Dionyſius Halicarnaſſenſis.

Huic contrarius moloſſus, cum omnes ſyllabas habeat longas, dignitatem habet præcipuam. Stabilem & magnificam pes iſte habet gravitatem, quapropter idem Dionyſius διαβεβηκότα illum appellat, velut latis paſſibus omnia pervadentem.

Qui ſequitur anapæſtus, cum à duabus brevibus incipiat, & longa terminetur ſyllaba, imprimis decorus eſt, maximeque virilis. Aptus eſt hic pes movendis affectibus, quare & modis Phrygiis crebro adhibetur.

Dactylus eſt quidem concinnus, pulcher, & jucundus; an vero gravis ſit, aut magnificus, de eo merito dubitari poſſit: quamvis videam pleroſque ſic exiſtimaſſe, idq; eo magis quod herōus vocetur hic pes. Verum non ſatis firmum eſt hoc argumentum, cum id ex eo factum poſſit videri, quod in heroïco carmine præcipuum poſſideat locum.

Nam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Nam ſi ex ſolis ſpondeis fiant hexametri, prorſus invenuſti ſunt, nimioque laborant pondere. Adhibentur itaque dactyli, ut teretes, volubiles, magiſque ſonori fiant. Adhibendus tamen delectus; nam ſi verſus ex ſolis fiant dactylis, unumque in fine tantum habeant ſpondeum, omnino erunt ſaltatorii, ſeu potius πηδητικοὶ, cujuſmodi aliquot ſunt apud Homerum, & plures, niſi fallor, apud Virgilium. Magnam ſane in cantu pes iſte præ ſe fert hilaritatem, quod gravitati non uſquequaque convenire videtur. Nec tamen eſt remiſſus aut effeminatus, quemadmodum trochæus, qui ſtatim frangitur & deficit; hic quippe bis reſilit, & magis æquales habet numeros, cum totidem in elatione ac poſitione poſſideat tempora.

Reliqui quatuor triſyllabi pedes, quamvis non ſemper commode ſuperioribus miſceantur, inſignes tamen & ipſi habent effectus. Rarius tamen frequentantur, quod impeditam & magis difficilem temporum & plauſuum habeant rationem. Quapropter rari ſunt, qui iis uti ſciant.

Bacchius, qui incipit à brevi, & terminatur duabus longis, gravem & cum majeſtate conjunctum habet inceſſum. Frequens eſt hic pes in Bacchicis & dithyrambicis carminibus, multum enim roboris habet in movendis magnis affectibus.

Minus gravitatis habet hyppobacchius ſeu antibacchius priori oppoſitus, quod brevis ſyllaba ſubſequatur duas longas. Pes incommodus & rarus. Quapropter eum carminibus inutilem eſſe ſcribit Hephæſtion.

Creticus, qui brevem habet ſyllabam inter duas longas, & ipſe quoque motum habet gravem, eſtque hic pes non ignobilis, præſertim ſi commodam ſortiatur ſtationem.

Am-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Amphibrachys triſyllaborum ut ordine, ita quoque dignitate poſtremus, longam habet ſyllabam inter duas breves. Numeros habet non admodum elegantes, quapropter fractum & effeminatum inceſſum huic tribuit Dionyſius Halicarnaſſenſis. Muſicis tamen antiquis aliter viſum, quemadmodum notat Marius Victorinus, utpote qui majorem haberent temporum quam ſyllabarum rationem.

De ſimplicibus pedibus pauca hæc dicta ſufficiant. Reliqui qui memorantur à Grammaticis, omnes è prioribus ſunt compoſiti. Qui è quatuor diſyllabis conſtant, numero ſunt ſedecim, plerique quadrati ſeu tetraſyllabi. E diſyllabis vero & triſyllabis fiunt pedes pentaſyllabi numero triginta duo. Ex his rurſus componuntur pedes ſex ſyllabarum numero ſexaginta quatuor; ita ut omnes juncti ſummam conficiant centum & viginti quatuor pedum. Longum foret ſingulorum nomina & poteſtatem declarare; interim hoc monendum, non audiendos eſſe eos, qui immenſam iſtiuſmodi pedum congeriem velut inutilem & ſupervacuam prorſus explodunt. Tot enim licet ſint numero, nullus tamen eſt qui peculiarem vim & facultatem in movendis & ſedandis affectibus non poſſideat. Nam quod vulgo arbitrantur, pleroſq; pedes compoſitos ejuſdem ſemper eſſe naturæ & efficaciæ, ac ſint ii ſimplices è quibus componuntur, in eo à veritate abſunt omnino quam longiſſime. Illud quidem aliqua ratione concedi poſſit, pedes qui conſtant ex ejuſdem generis pedibus, ut proceleuſmaticus, qui fit è duobus pyrrichiis, item diſpondeus, diiambus, & ditrochæus, qui fiunt è duobus ſpondeis, iambis, & trochæis, cum incedant per

tau-

παυτοποδίαν, ſervare propemodum legem & naturam pedum unde conſiunt: ſed vero longe aliter id ſe habet in reliquis omnibus, qui cum è diverſi generis pedibus componantur, diverſam quoque acquirunt facultatem; & ita quidem, ut priorem naturam penitus exuere videantur. Si quis pyrrichium ſpondeo jungat, pro diverſa collocatione emerget uterque Ionicus, quorum tamen neuter convenit cum iis pedibus, unde conſtituuntur. Sed multo id ipſum clarius adparet in iis pedibus, qui ex imparibus conſtant ſyllabis, & in plauſu non conveniunt. Quid enim commune habet choriambus, & præcipue antiſpaſtus, cum iambo & trochæo? Mollis & imbellis eſt trochæus, acer & pugnax iambus, uterque tamen gradu currit celeri & pene volubili. At vero nihil horum ſupereſt in antiſpaſto, cum & durum & incompoſitum & prorſus refractarium habeat inceſſum. Eadem eſt ratio cæterorum pedum, non tetraſyllaborum tantum, ſed & omnium compoſitorum; in quibus hoc fere obſervare eſt, ut quanto plurium temporum & ſyllabarum fuerint, tanto quoque longius à ſimplicium pedum natura recedant; paucis forſan exceptis, qui, quod è puris conſtent ſpondeis, aut moloſſis, numeros habent æquales, ac vel nihil, vel parum diſcrepantes à motu pedum ſimplicium.

Sed vero non aliunde magis, quam ex ipſorum carminum cantuumque textura, clarius deprehendas, quantum à ſimplicibus diſtent pedes compoſiti. Cum enim ſimplicium ea ſit facultas, ut mores potius concinnos & mites efficiant, quam affectus moveant concitatos; aut ſi illi moveantur, minime tamen turbulenti, ſed ordinati maxime-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

que decori ſint: contrarium videre eſt in pedibus compoſitis, quorum cantus mentem animumque ita percellit, ut ad furorem & inſaniam multos adegerit: cujus rei fidem faciunt modi Phrygii & dithyrambica carmina, quibus homines etiam ad rabiem olim efferatos fuiſſe conſtat. Hinc eſt quod Plato pedes compoſitos, una cum Ionicis Lydiis & mixolydiis modis, è ſua civitate expellat & procul faceſſere jubeat. Cum enim nullam in ſua Republica muſicam admittat, niſi quæ gravis, modeſta, & virilis ſit, cenſeatque moribus officere multiplicium iſtiuſmodi numerorum inceſſum; non ſine ratione foras protrudit rythmos è contrariis, ut plurimum, compoſitos motibus, veluti ſpurios & quodammodo androgynos, deturbantes mentem à recto ſtatu, & inducentes contumeliam, temulentiam, & cupiditates illicitas. Sed iſta Platonica & Pythagorea ſeu monita, ſeu præcepta, quantumvis ſalubria, nihil tamen proſunt ubi luxus & proclivis in luxum dominatur ætas; præſertim ſi accedant eruditi vitiorum aſſentatores, qui jam ſua ſponte pronos agant præcipites. Sine mora itaq; ad ſcenicos & theatra tranſiit omnis poëticæ poteſtas; illa ſunt quæ omnigenos invexere pedes, quæ muſicos numeros in pulverem confregerunt; illa ſunt, ut monet Jun. Plinius, quæ olim muſicos male canere docuerunt: de quo jam ſuo tempore conqueſtus eſt Plato III de leg. Nec hilum profuit Roſcius hiſtrio, dicere ſolitus, *ſe, quo plus ſibi ætatis accederet, eo tardiores tibicinis modos, & cantus remiſſiores eſſe facturum*; reclamante ſcilicet multitudine & ſeculo univerſo.

De pedibus & eorum poteſtate & natura, licet multa dicenda ſuperſint, hæc tamen maxime ad inſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

inſtitutum facientia annotaſſe ſufficiet. Veniamus ad rythmum partem carminis præcipuam. Quod vocabulum attinet, de eo non eadem omnes ſentiunt, cum ſæpe etiam apud probatiſſimos ſcriptores pes, metrum, & rythmus, idem prorſus ſint; alii vero non ea, qua debeant, ratione diſtinguant. Longum foret ſingulorum explicare ſententias, cum nec Grammatici, nec Muſici, nec Philoſophi, aut Rhetores ſatis ſibi conſtent, & non diſcrepantia tantum, ſed & ſæpe contraria prodant. Hæc vocabulorum confuſio nata, niſi fallor, ex diverſa acceptione metri; cujus tota ratio cum verſetur ſolum circa quantitatem & menſuram ſyllabarum, à multis tamen latiori ſignificatu refertur ad pedum totiuſque carminis qualitatem, dum nempe perperam metro tribuunt id quod ſoli convenit rythmo. In eo enim conſentiunt fere inter ſe antiquiores plerique Græci, rythmum eſſe baſin, ſeu inceſſum carminis. Melius itaque quam cæteri mihi definiviſſe videntur illi, qui dicunt rythmum eſſe ſyſtema ſeu collectionem pedum, quorum tempora aliquam ad ſe invicem habeant rationem ſeu proportionem. Quod ſi illa proportio apta ſit, jam carmen ſeu cantus dicitur εὔρυθμος, ſin contra, ἄρρυθμος. Ut itaque rythmus ſit concinnus, maxime cavendum, ne pedes temporibus diſcrepantes invicem miſceantur. Vitioſum & incompoſitum imprimis fiet carmen, ſi duorum, trium, quatuor, pluriumve temporum pedes, veluti pyrrichii, iambi, dactyli, pæones, Ionici, &c. ſimul copulentur. Nec tempore ſolum, ſed & elationis & poſitionis ratio habenda eſt. Itaque non recte trochaicis iambos, nec iambicis trochæos admiſceas.

Quamvis enim uterque pes æqualia habet tempora, in percussione tamen non conveniunt, cum trochæus à longa incipiat, alter vero longa terminetur syllaba. Eadem est ratio dactyli & anapæsti, choriambi & antispasti, bacchii & antibacchii, Ionici utriusque, ac plurium aliorum; qui temporum quidem quantitate conveniunt, tamen quia motus & percussiones habent contrarias, non bene conjunguntur. Sed neque bene conveniunt trochæi cum choriambis aut antispastis, est enim quædam inter illos antipathia, cum duo isti pedes asperi sint, trochæus vero mollis. Commode his sociatur iambus. Trochæus vero optime se habet si pæonibus misceatur, non item iambus. Rursus Ionici respuunt societatem choriambi & antispasti, qui nec ipsi cum pæonibus bene se habent. Pæones vero recte junguntur Ionicis, item bacchio, & palimbacchio, & præcipue Cretico, qui in pæones potest resolvi. Scio quidem in metris ἀσυναρτήτοις & illis quæ fiunt κατὰ ἀντιπαθειῶν μίξεως, veluti Galliambis ac multis dithyrambicis, complures ex his pedibus promiscue adhiberi; sed id nemini mirum videbitur, qui norit carmina istæc potissimum reperta esse ad perturbandos animos & furorem inducendum. Quanta sit numerorum potentia in movendis & sedandis affectibus, sciunt qui aliquem rerum habent usum, & qui veteribus historiis non omnino sunt hospites, ut opus non sit vel exemplis, vel rationibus id ipsum confirmare. Hoc solum dixisse sufficiat, si numeri æquales & concordes tranquillos & convenientes motibus suis gignant motus, fieri aliter non posse, quin dissoni & sibi invicem contrarii numeri, non organa tantum sensuum, sed & ipsos

quo-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

quoque ſenſus graviter offendant & lædant, inducendo motus naturæ contrarios, quique ob hoc ipſum, quod mollibus & harmonicis numeris permixti clam & furtim ſurrepant, vulnera infligant graviora. Vaſta illa æramenta, quæ campanos vulgo appellant, findi & aliquando diſſilire affirmant ſi inæqualiter pulſentur, & miramur animos noſtros turbari ſi à diſcrepantibus numeris perturbentur ea inſtrumenta à quibus noſtri reguntur affectus? Sed ut inſtitutum perſequar, illud imprimis tenendum, dithyrambica carmina habere quidem præcipuam vim in ciendis affectibus, & rectè illos ſentire, qui ſummam muſicæ potentiam in his ſitam eſſe adfirmant; verum non exinde ſequitur, id quod vehentiſſime movet, id ipſum quoque eſſe præſtantiſſimum, niſi quis noxia ſalutaribus præferenda eſſe exiſtimet. Si Platonicos ſequamur, ne dubitandum quidem fuerit, quin muſicæ dignitas & præſtantia in ordinatis potius & legitimis collocanda ſit numeris, qui vitam & mores ad honeſtatem diſponunt, quam in illis motibus, qui affectus inducunt damnoſos.

Nec tamen putandum rythmos, qui è ſimplicibus conſtant pedibus, minus habere roboris & efficaciæ, quam qui è compoſitis conſtruuntur. Tollas vim iſtam motus concitantem inæquales & enormes, cæteras virtutes deprehendes etiam ſimplicibus ineſſe numeris, & adeo quidem ut ad ſupremam perfectionem nihil omnio deeſſe videatur. Si majeſtatem ſpectes, ecquid ornatius & ſublimius heroico? Si molle quid & tenerum & volubile exprimere cupias, præſto erit trochæus, qui quod petis dabit. Si vehementia & acrimonia

opus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

opus ſit, ad partes vocandi ſunt iambici, quorum quot genera, totidem quoque diſcrepantes effici-es cantus. Taceo jam flebiles elegos, amatorios hemiiambos, iracundos hendecaſyllabos: præte-reo Sapphicos, Alcaïcos, anapæſticos, tot deni-que alios modos, ut ne totidem affectuum, quot carminum poſſis enumerare ſpecies. Quodcun-que tamen ex his carmen tentaveris, ſi ignota ti-bi fuerit rythmi natura, nihil efficies, licet inge-nio omnes ſuperes mortales. Hinc eſt quod Py-thagorici cantum feminam, rythmum vero ma-rem appellent. Varro metrum, ſeu pedes, mate-riam carminum, rythmum vero regulam vocat. Plato, & pleriq; ejus ſectatores, negant aut poëtam, aut muſicum eſſe dicendum, qui rythmum igno-ret. Cum enim pedes ſint quaſi membra carminum & quidem membra ſonantia, fieri aliter non po-teſt, quin vel ipſe ſonus errorem prodat, ſi per-verſo & præpoſtero ordine locentur. In metris quidem paullo ante memoratis, quod ſimplicibus decurrant numeris, nec ſit difficile minutorum pedum tempora metiri, ſatis expedita eſt ratio rythmica; at vero compoſitorum pedum natu-ram & tempora explorare, & illos convenienti or-dine diſponere, curam exigit operoſiorem, cauſ-ſaſq; continet huic noſtro ſeculo propemodum in-cognitas; idq; non grammaticorum, aut etiam mu-ſicorum culpa, qui ſatis diligenter functi ſunt ſuo officio, ſed quod una cum poëſi, tota quoq; cantus ratio interciderit. Verum cum ad inſtitutum præ-cipue faciat hujus rei conſideratio, non inutile fu-erit aperire, quo pacto duæ iſtæ inſeparabiles ſoro-res, Muſica inquam & Poëſis, ut ſimul natæ, ita quo-que ſimul in Græcia interierint. Brevi expediam; non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

non primaria tantum, ſed & unica hujus rei ratio fuit linguæ & pronuntiationis mutatio. Fruſtra ſimus ſi id quod omnes norunt velimus docere, quam nempe fluxa & lubrica res ſit ſermo humanus, quamque nullæ uſquam terrarum reperiantur linguæ, quæ vel ad pauca ſecula integræ & inviolatæ perſtiterint. Si vocabula ſpectes immutantur plurimum, minus tamen quam vocabulorum ſonus, qui raro vel ad vitam hominis perſeverat. Quapropter nequeo ſatis mirari inter hujus ævi literatos non deeſſe complures, qui linguæ Græcæ pronuntiationem ab heroico ſeculo uſque ad hæc noſtra tempora ſinceram & illibatam permanſiſſe exiſtiment; ac ſi non omnium naſcentium eadem eſſet conditio, & naturæ curſus & fatalis neceſſitas interrumpendus ſit, ne ſcilicet intempeſtivis & male doctis hominibus ineptiendi præripiatur occaſio. Adeo clara & manifeſta ſunt, quæ de literarum & vocabulorum ſono nobis tradidere Veteres, ut ſiquis contra hæc hiſcere audeat, is neceſſe ſit habeat os nullum vel potius pugilis. Literarum quod attinet ſonum, eum expertem fuiſſe omnis mutationis, non tantum florentibus Græciæ rebus, ſed & quamdiu Romanum ſtetit imperium, teſtantur plerique Græci & Latini Grammatici quotquot de literis ſcripſere. Si quis dubitet, aut aliter exiſtimet, legat vel ea ſolum, quæ habet Dionyſius Halicarnaſſenſis de verborum compoſitione; ubi adeo exacte & perſpicue tam vocalium quam conſonarum poteſtatem declarat, ut ſiquis iis lectis hæſitare non deſinat, & pergat credere *Beta* ſonaſſe ut *Vita*, aut vocales η, ι, & υ eodem pacto pronuntiatas fuiſſe, is infelicis omnino ingenii, & cuivis potius rei quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

quam literis tractandis natus esse videatur.

Diphthongorum non eadem est ratio. Eas integras fuisse & vere diphthongos, ita ut utraque vocalis exaudiretur, quamvis vel ipsum testetur vocabulum, certius tamen colligitur è scriptis illorum omnium, qui floruere antequam Græcia Romanis serviret. Claudii & Neronis temporibus mutata demum fuit pronuntiatio, tunc quippe præcipue usus invaluit ut diphthongi absorberentur, quod ipsum quoque Latinæ contigit linguæ, utpote in qua bivocalium usus maxima ex parte cessarit jamdiu ante ætatem Ciceronis. Conatus quidem fuit Claudius Cæsar revocare veteres & jam obsoletas diphthongos, sed nullum est tam amplum imperium quod efficere possit, ut pronuntiatio semel amissa in integrum restituatur. Cum nunquam alias, tum præsertim id fieri non poterat in seculo luxu & mollitie diffluenti, quo histriones latius regnabant quam ipsi Imperatores, quoque qui gratiosi in aula esse volebant, adeo fastidiose delicati cupiebant videri, ut durioris alicujus syllabæ allapsum ad aures, haud secus ac hostile telum reformidarent. Non tantum insolens quid, sed & vastum & rusticum præ se ferre videbantur diphthongi AI & OI, nec defuere credo, qui fauces non satis patere, nec sine dolore in tam latos sonos diduci & explicare posse adfirmarent. Sine mora itaque à Romanis transiit vitiosus hic pronuntiandi ritus ad Græcos, gentem adulandi peritissimam, frustra reclamantibus doctis & antiqui moris studiosis; qui licet aliquamdiu restitere, brevi tamen & ipsi quoq; in mollius loquendi genus concessere: & adeo quidem ut Trajani & Adriani seculo bivocalium usus penitus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

tus cessasse videatur. Hinc est quod in illis marmoribus, quorum inscriptiones factæ sunt post ea tempora, mera diphthongorum confusio appareat, cum E pro AI, I pro OI vel EI passim occurrat, cũ tamen in vetustioribus lapidibus orthographiæ ratio optime sibi constet. Hinc quoque nata sunt tot Grammaticorum de diphthongis volumina, quæ nihil fere aliud continent, quam quibus literis quælibet voces exprimi debeant, quale nihil in veteri Græcia contigisse constat, quamdiu nempe eadem scripturæ & pronuntiationis viguit ratio. Infinitis hæc testimoniis confirmari possint, sed cum alibi de his egerimus, plura hoc loco non addam.

Superest prosodia seu accentuum ratio, non præcipua tantum, sed & unica propemodum caussa, quæ musicam & poeticam artem evertit penitusque pessumdedit. Si enim spectetur quæ circa literarum diphthongorumque sonum facta est mutatio, ea quidem nonnihil attulit detrimenti; quantumcumque tamen id fuit, salvus nihilominus & integer carminum perstitisset cantus, nisi nova prosodia veterem pronuntiationem prorsus immutasset & sustulisset. Olim quippe, florentibus etiamnum Græciæ rebus, longe alia prosodiæ & accentuum erat ratio, quam quæ postmodum à magistris reperta & introducta fuit. Non veteres tantum Grammatici, sed & ipsum vocabulum manifeste testatur, prosodiam versari circa cantum verborum, ideoque in antiquissima & primaria significatione sic definitur, προσῳδία ἐστὶ τόνος φωνῆς πρὸς ὃν ᾄδομεν. *Prosodia est tenor vocis ad quem canimus.* Hinc facile colligitur non Grammaticorum, sed vero Musicorum olim fu-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

isse officium notas seu diagrammata prosodica, unde cantus cognosceretur, appingere poëmatis. Cum vero omnis sermo sit veluti cantus quidam, translatum est ad quorumvis etiã verborum pronuntiationem hoc vocabulum, unde demum occasionem arripuere Grammatici, ut accentus musicos suis usibus accommodarent, ad declaranda tempora & syllabarum quantitatem. Primus Grammaticorum qui accentus istos usurparit is, si Apollonio, Arcadio, aliisque Græcorum magistris fidendum, fuit Aristophanes literator, circa tempora Ptolemæi Philopatoris & Epiphanis. Hujus discipulus Aristarchus, præceptoris insistens vestigiis, auxit & illustravit accentuum numerum, idemque studium tenuit Dionysium Thracem Aristarchi auditorem. Nec aliam instituere viam qui postea in schola Alexandrina invicem sibi successere, Apollonius nempe Dyscolus, Orion, Herodianus Apollonii Dyscoli filius, Alexander, Astyages, Origenes, Agapetus, Philoponus, Sergius, Apollonius Junior, Aristarchus Junior, Joannes Charax, Auxonius, Herodianus magnus, Georgius Chœroboscus, & complures deinceps alii; qui omnes quanto ætate posteriores, tanto pluribus præceptis accentuum rationem involverunt, ut multa horum quæ supersunt satis declarant scripta. Usque ad tempora Antonini & Commodi Impp. perstitit nihilominus antiqua & fere integra loquendi ratio, ut opus non fuerit totidem apicibus scripturas onerare, ac posterioribus factum sit seculis, cessante nempe & penitus collapsa vetere pronuntiandi ratione. Quam recens sit usus apponendi istiusmodi accentus quibuslibet

scrip-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ſcripturis, hoc ſatis declarat, quod in nullis marmoribus, nullis numiſmatis, nullis denique codicibus, qui quidem mille aut nongentis annis antiquiores ſunt, virgulæ aut apices ulli compareant. Unde ſatis evidenter patet, toto intermedio tempore, quod ab Ariſtophane Grammatico effluxit, uſque ad id tempus quo accentus adſcribi cœperunt, per ſpatium nempe octo vel novem ſeculorum, haud aliis uſibus adhibitas fuiſſe à Grammaticis accentuum notas, quam ad erudiendam in arte metrica juventutem. Nec tamen exiſtimandum, ſimilem, ac nunc paſſim recepta eſt, olim quoque fuiſſe accentuum rationem. Qui enim cantus aut lectio ſubſiſtere poſſit, ſiquis Homericos verſus, ita ac vulgo fit, pronuntiet?

Ἠέλιος δ' ἀνόρουσε λιπὼν περικαλλέα λίμνην
Οὐρανὸν ἐς πολύχαλκον, ἵν' ἀθανάτοισι φαείνῃ
Καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν·

Longe aliter veteres; ſic nempe illi accentus digerebant.

Ἠ ἑλιὸς δ' ἀνοροῦσε λιπὼν περικάλλεὰ λίμνην
Ὀὐρανον ἐς πολυχάλκον ἱν' ἀθανατοῖσι φαεῖνῃ
Καὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν ἐπὶ ζειδῶρον ἀροῦραν·

Vera eſſe, quæ affirmo, libenter agnoſcet is, qui veterum Grammaticorum Dionyſii Thracis, Apollonii Alexandrini, Aelii Dionyſii Halicarnaſſenſis, Ariſtarchi junioris, & aliorum quæ ſuperſunt ſcripta & fragmenta evolvat. Sed & ex iis qui omnium manibus teruntur, compilatore videlicet etymologici magni & Euſtathio, idem obſervare eſt, utpote qui non uno loco teſtentur, in antiquis exemplaribus & præceptis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

veterum Grammaticorum, longe diverſam accentuum occurrere rationem ab ea quæ poſtmodum placuit. In iis enim monent non ſcriptum fuiſſe ἕτοιμον, ἔρημον, τρόπαιον, ſed ἑτοῖμον, ἐρῆμον, τροπαῖον. Item non παχύτης, παχύτητος, & βραδύτης βραδύτητος, ſed παχυτὴς παχυτῆτος & βραδυτὴς βραδυτῆτος, & ſic in cæteris omnibus, ita ut accentus veræ & naturali ſyllabarum ſemper conveniret menſuræ. Iidem quoque docent, non tantum vocalibus dictionem inchoantibus, ſed & mediis dictionibus ſpiritus appoſuiſſe Grammaticos veteres, ut in δυσὅρμος, δυσἥνιος, ἐφῆβος, εὐἥμερος, φιλἵππος, & ſic in cæteris. Nec tamen una eademque omnibus Græciæ populis ratio fuit; pro varia quippe pronuntiatione, variabant quoque ſpiritus. Itaque Iones, & præcipuè Æoles, qui in pleriſque erant ψιλωτικοὶ, & nulla omnino uterentur aſpiratione, ſcribebant ταῶς, αὖος & ἀυαίνειν· Attici vero qui in pluribus erant δασυντικοὶ, ſcribebant aut potius pronuntiabant ταὧς, ἇυος, & ἁυαίνειν· Sed & pleræque fere mediæ dictiones, quibus Latini v conſonans addidere, ſpiritu aſpero ab iiſdem Atticis proferebantur, ut ᾠόν, αἰὧν, ἀὅρνος, *ovum, ævum, Avernus*. Quamvis vero, etiam diu antequam nova iſta proſodia introduceretur, vera & genuina linguæ Græcæ pronuntiatio multum labefactata eſſet, non defuere tamen antiquitatis ſtudioſi, qui in pangendis carminibus veteris poëſeos leges ſatis pro captu ſuo religioſe obſervarint: ſed eruditis & vetuſtatis amantibus magis placuere eorum carmina, quam muſicis & cantoribus; qui cum præcipue in eo labora-

rent,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

rent, ut auribus ſatisfacerent theatrorum, imprimis cavebant ne, relicta ſeculi ſui pronuntiatione, inſolitum quid ſonarent: ut mirum non ſit, neglecto verborum cantu, citharædos & pantomimos longe gratiores eo tempore fuiſſe, quam veros & legitimos muſicos. Hinc illa Maximi Tyrii querela de extincta ſua tempeſtate veteri muſica, hinc quoque frequens illa parœmia ἐκκέκοφθ’ ἡ μουσική· Nec male judicat Suidas, ubi de Hypatia Theonis agit filia, non eſſe veriſimile inquiens, id quod vulgo dicitur, illam juvenem ſui amore correptum muſicæ curaſſe beneficio, cum muſicæ poteſtas jam diu ante Hypatiæ ætatem penitus exoleverit. Quod ſi jam illo tempore multo magis ſubſequentibus ſeculis immutata fuit proſodiæ ratio, & adeo quidem ut à multis abhinc ſeculis vix aliquis in Græcia fuerit repertus, qui ſciat quid ſit metrum, nedum qui & ipſe alicujus momenti poëma auſus fuerit aggredi. Si quis itaque hodiernos Græcorum accentus ſeu proſodiam ſequatur, & legat carmina vel Homeri vel cujuſcunque alius antiqui poëtæ, nullos omnino pedes, nullum vel metrum vel rythmum agnoſcet, nihil quod numeroſum ſit vel aures afficiat; ſed ſonum abſonum & ridiculum, & verſus qui cantari nequeant, denique quidvis potius quam carmina intelliget. Eo ſunt redacti miſeri Græci, ut nec legere nec cantare Græce ſciant, amiſſoque omni priſtino cultu, cum cæteris barbaris ritibus, muſam quoque barbaram ſint amplexi. Jam à mille & pluribus annis, nullum fere aliud carminis frequentarunt genus, quam verſus quos illi politicos vocant, ideo nempe quod aliquam ſimili-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ſimilitudinem habere videantur, cum iis verſibus, quos inter novem heroicorum ſpecies Grammatici recenſent; quique quod nullos moveant affectus, ſintque maxime humiles, populares, & pedeſtri ſimiles ſermoni, ideo πολιτικοὶ, & λογοειδεῖς appellantur, cujuſmodi eſt iſte, ἵππους δὲ ξανθὰς ἑκατὸν καὶ πεντήκοντα· Siquis vel Homeri vel aliorum poëmata ad legem vulgarium accentuum exprimat, complures iſtiuſmodi verſus deprehendet; ut minime dubitandum ſit, quin ex corrupta heroici carminis pronuntiatione verſus iſti politici originem traxerint. Obſervandum tamen, quemadmodum hexametri non æqualem ſemper ſyllabarum continent numerum, cum aliquando tredecim aut etiam duodecim tantum, nonnunquam vero ad ſeptemdecim extendantur ſyllabas; ita neque politicorum verſuum eandem ſemper eſſe rationem, cum nonnunquam duodecim aut tredecim, alias quindecim, quandoque vero ſeptemdecim abſolvantur ſyllabis. Qui duodecim aut tredecim tantum continent ſyllabas, ij ſimiles ſunt verſibus iis quos & noſtrates, & Galli, in ſuis vernaculis linguis Heroicos perperam vocant; licet majorem accentuum Græci habeant rationem, quam Galli, utpote qui non naturalem tantum ſyllabarum quantitatem, ſed & ipſos quoque ut plurimum negligant accentus. Hoc attamen carminis genus raro apud Græcos occurrit; ſed vero qui quindecim ſyllabis decurrant verſus, frequentiſſime reperiuntur: & hoc numero gaviſi ſunt Tzetzes, Conſtantinus Manaſſes, & innumeri alii, qui hanc menſuram diligentiſſime obſervavere. Si neglecta antiqua & naturali ſyllaba-

ſyllabarum quantitate, ſolum obſerves ſonum, maximè ſimiles ſunt tetrametris Archilochiis catalecticis. Quod ſi ſeptendecim aut plurium forent ſyllabarum, jam merito ridebantur, veluti πολύποδες, præſertim ſi Conſonis abundarent literis. Quippe ſi puris ſyllabæ terminentur vocalibus, jam, ut monet Euſtathius, agens de verſibus politicis, ad primum Iliad. λανθάνει τὸ πολύπουν τῇ ταχείᾳ συνεκφωνήσει τῶν φωνηέντων, καὶ σώζεται ὁ τροχαϊκὸς ῥυθμός· Qui primi iſtiuſmodi verſus uſurparunt, licet κακοζηλίᾳ laborarint, non tamen omnino ſyllabarum neglexerunt rationem; ſed vero qui proxime elapſis ſex ſeptemve floruere ſeculis, cum viderent ſe ævi ſui auribus non ſatisfacere propter immutatam pronuntiationem, omiſſa antiqua & naturali ſyllabarum quantitate, ſolam vernaculorum accentuum habuere rationem, ſatius ducentes à veterum præceptis, quam à recepta ſuis temporibus recedere conſuetudine. Hic finis, hæc denique ultima fuit meta poëticæ, ſimulque muſicæ, nobiliſſimarum quondam artium, quamdiu literæ & ingenia Græcorum floruere, nunc vero adeo infelicium, ut ne reliquiæ quidem priſcæ ſuperſint gloriæ, perierintque nulla prorſus relicta poſteritate.

Nec alium habuit exitum Latinorum poëſis. Hanc quoque non labefecit tantum, ſed & penitus ſuſtulit pronuntiationis mutatio. Non ſimul nec repente, ſed paulatim eam factam fuiſſe, & ſucceſſive aliam poſt aliam irrepſiſſe labem, magnaque ex parte vitiatam fuiſſe, etiam antequam barbari rerum in Italia potirentur, ſatis teſtantur tot quæ ſuperſunt carmina, & ea

præcipue

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

præcipue quæ à Christianis conscripta fuere, qui quanto meliores viri, tanto deteriores poëtæ, tantoque minus religiose leges metricas observarunt, quod utique non contigisset, si priscus Romani sermonis sibi constitisset tenor. Ciceronis quippe tempore etiam vulgus sentiebat, si quid in versu peccatum esset, ut ipse non uno loco testatur; at vero vergente ad interitum Romano imperio, ne ipsi quidem docti effugere potuerunt, quin sæpissime in syllabas impingerent. Nam quod populum & indoctos attinet, quam illi rudes & imperiti in scribendis fuerint carminibus, abunde testantur complura vetera epitaphia, & Commodiani & similium versus, dummodo versus dicendi sint, ubi nullum vel metrum vel syllabarum observatur quantitas. Et tamen non dubitandum, quin epigrammata seu carmina istæc ita ab iis lecta & recitata fuerint, ac si revera fuissent carmina: Contra quam hac nostra fiat tempestate, qua Virgilii & aliorum carmina ita vitiose pronuntiantur, ut vix intelligas esse carmina.

Post lapsum imperii Romani, si Boëthium & paucos Romani generis superstites excipias, musa Latina penitus obmutuit. Eo quippe tempore ut quis omnium optimus haberetur poeta, satis erat non omnium esse pessimum. Ipsos vero si spectes victores Barbaros, illi tantum abest ut bonos, ut nequidem quantumvis malos scribere potuerint versus, cum literas prorsus nescirent. Verum ut nusquam tam feram & agrestem invenias gentem, quæ non suo more canere sciat, ita quoque & illi sua habuere vernacula cantica, quæ tum demum absoluta & pul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

cra esse putabant, si similiter desinentibus sonis terminarentur. Istiusmodi ὁμαιοτέλευτα, non tantum barbaro seculo, sed & nunc quoque rythmi appellantur; quamvis cum iis nihil omnino commune habeant, nisi forsan quod rythmi defectum apud aures non eruditas quodammodo resarcire videantur. Tanto tamen consensu pleræque gentes spurios istos rythmos amplectuntur, ut toto fere orbe vix ullam poësin, aut ulla reperias cantica, quæ non vel iisdem, vel similiter sonantibus absolvantur vocabulis. Consuetudinem hanc servant non Arabes tantum & Persæ & Afri, sed & Tartari & Sinenses, & complures quoque Americanæ gentes, ut dubitari vix possit, quin ipsa natura una cum cantu hanc poëseos rationem mortalibus tradiderit. Et sane siquis puerorum demum canere incipientium morem observet, quomodo nempe illi, dum verba næniæ suæ aptare conantur, ut cantum impleant, eadem vocabula pluries soleant repetere, in hac quoque balbutie & battologia vulgaris rythmicæ rudimenta inveniet. Neque enim negari potest, quin eædem voces repetitæ faciant consonantiam si non elegantem & jucundam, maxime tamen naturalem & perfectam, multarumque gentium usu comprobatam; licet delicatiores homines imprimis ab eo sibi caveant, vitiosumque existiment, si in carminum fine idem vocabulum sibi consonet. Ad evitandam itaque hanc balbutiem ipsa natura omnes docuit mortales sonum variare, ita ut non eadem vocabula iisdem, sed similia similibus consonent; hacque ratione non ornatui tantum, sed & verborum consulitur copiæ. Hæc ut opi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

nor vera & genuina cauſſa pſeudorythmorum, qui quantum hodie placent, tantum diſplicuere veteribus Græcis & Latinis, ut non immerito notati fuerint ii, qui vel caſu, vel imprudentia hac in parte peccarunt. Multo magis reprehenſi fuere ii, qui ſtudio & data opera ὁμοιοτέλευτα & ὁμοιόπτωτα ſectati ſunt, uti Gorgias Rhetor, & forſan Nero Cæſar, cum nihil æque gravitati orationis officiat, quam in ſono ludere ſyllabarum. Quis neſcit quantopere exploſus ſit ille Ciceronis verſus?

O fortunatam natam me conſule Romam!

Juvenalis carmen hoc recitans ſalſe ſatis ſubjungit;

Antoni gladios potuit contemnere, ſi ſic
Omnia dixiſſet.

Adeo ſibi ab iſtis ineptiis temperavit Virgilius, ut maluerit ſcribere,

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ,

Quam *timidæ*. Errant vero plurimum qui eum exiſtimant ὁμοιοτέλευτον poſuiſſe in hoc verſu, *Cornua velatarum obvertimus antennarum*. Duo enim poſteriores literæ in *velatarum* abſorbentur à ſequente vocali; aliter enim ſi pronunties, nec carmen, nec cantus conſtet. Non me fugit in veterum ſcriptis nonnunquam iſtiuſmodi conſonantes clauſulas occurrere, ſed adeo eæ raræ ſunt, ut vel ipſa raritas ſatis oſtendat illos vel aliud agentes, vel neceſſitate metri compulſos eas uſurpaſſe. Quotquot artis poëticæ vel Rhetoricæ præcepta tradidere, imprimis vitandum eſſe monent, ne neglecto rerum & ſententiarum pondere inanes ſonos & pueriles ſectemur figuras. Non quidem negaverim iſtas

aliquid

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

aliquid nonnunquam gratiæ & delectationis in argumentis habere ludicris, præsertim si raro frequententur, locoque inserantur opportuno; sed vero quid in universum de his sentiendum sit, dixerit scriptor Rhetoricorum ad Herennium, cujus verba è libro IV non pigebit adscribere. *Hæc tria genera proxima exornationum, quorum unum in similiter cadentibus, alterum in similiter desinentibus, tertium in adnominationibus positum est, perraro sumenda sunt, cum in veritate dicemus: propterea quod non hæc videntur reperiri posse sine elaboratione & consumtione operæ. Ejusmodi autem studia ad delectationem quam ad veritatem videntur accommodatiora. Quare fides & gravitas & severitas oratoria minuitur his exornationibus frequenter collocatis: & non modo tollitur autoritas dicendi, sed offenditur quoque in ejusmodi oratione auditor; propterea quod est in his lepos & festivitas, non dignitas, neque pulcritudo. Quare quæ sunt ampla & pulcra diu placere possunt: quæ lepida & concinna, cito satietate afficiunt aurium sensum fastidiosissimum. Quomodo igitur, si crebro his generibus utemur, puerili videbimur elocutione delectari: ita si raro has interseremus exornationes, & in causa tota varie dispergemus, commode luminibus distinctis illustrabimus orationem.* Quid demum dicturos fuisse existimemus veteres istos dicendi magistros, si quem hodierna recitantem carmina, & quot versus, totidem quoque similiter desinentia intellexissent verba? Barbaris quidem istiusmodi concedi possint elegantiæ, adsuetis patrio sono, nec quidquam mirantibus nisi quod tinniat; sed ve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ro cultis ſeculi noſtri auribus necdum tam inſipidos ſonos diſplicere, etiam indignationem poſſit movere. Jam à mille fere annis muſa ubique regnat barbara, nec in ſcholis aut monachorum clauſtris ut olim, ſed in theatris, in aulis principum, & in ipſis quoque templis hæc ſola perſonat, neglectaque menſura & rythmi ratione, nulla hac tempeſtate probantur carmina, niſi in ſingulis verſibus reſonantem habuerint clauſulam. In ſoluta quidem oratione ſiquis tot ſimiliter cadentia vocabula vellet cumulare, riſu & ſibilo ab omnibus excipiatur, & quidem merito; in carminibus vero ſonos iſtos abſonos non tantum admittunt, ſed etiam laudant fere plerique, quia ſcilicet longa conſuetudo in naturam quodammodo abierit, ac ſi rebus abſurdis & futilibus à temporum diuturnitate aliqua accedat autoritas. Inſtant tamen & inquiunt ſonum hunc minime abſurdum & futilem eſſe, utpote receptum à cultiſſimis quoque gentibus, maximeque naturalem. Verum ſi gentium mores pro lege eſſe debeant, valeat ſane ratio. Quis neſcit inter cultiſſimas iſtas gentes infinitos propemodum reperiri etiam præcipuæ dignitatis viros, qui tum demum eleganter ſe loqui exiſtiment, ſi nullam periodum, vixque tria abſolvant verba, quin aut dictu turpe vocabulum, aut jurisjurandi ſacramentum interponant? Ad naturã provocare frivolum eſt omnino, cum multa homines naturæ faciant inſtinctu quæ inſigniter inepta ſunt. Quis deniq; negaverit ſonos aliquos eſſe ſpurcos & obſcenos, quoſque nemo niſi impurus audire ſuſtineat, cum tamen maxime ſint naturales? Fruſtra igitur argumenta petuntur

tuntur à natura, quæ non imperfecta tantum, ſed & vitioſa eſt in multis, aut etiam à conſuetudine mala, quæ quanto confirmatior, tanto nequiores habitus & deteriora gignit exempla.

Nec vero exiſtimandum, ex quo barbarus iſte ſonus invaluit, uno ſaltem hoc vitio fœdatam fuiſſe poëticam; aliud quippe etiam longe majoris momenti malum artem hanc invaſit; quod nempe ſublato rythmo & carminum menſura ſimul quoque ſublatus fuerit carminum cantus. Si Latinos exceperis verſus, factos ad imitationem veterum, nulla hoc noſtro ſeculo in tota Europa ſcribuntur poëmata, quæ nervis aut cantui commode poſſint aptari. Non novum tantum, ſed & abſurdum forſan quod dicimus videbitur pleriſque iis, qui cantica vernaculis linguis compoſita magna cum voluptate indies excipiunt: Sed vero ſiquis attentius rem perpendat, idem etiam vel invitus fateatur neceſſe eſt, vera eſſe quæ ſcribimus. Scimus quidem & nos hodiernos etiam cantari verſus, ſed & hoc quoque ſcimus, eadem ratione cantari poſſe quamvis ſolutam orationem. Tollas pſeudorythmos, quid quæſo differunt hodierna carmina à pedeſtri ſermone? An quod magis figurata ſit dictio? Verum hoc nihil ad muſicam, non magis quam ipſe pſeudorythmus. Cantus non poteſt ſubſiſtere, ſi ſyllabarum non conſtet quantitas, hujus vero nullam vulgo haberi rationem, apud pleroſque in confeſſo eſt. Uno enim ore omnes fatentur, negligi hoc tempore veram & naturalem ſyllabarum quantitatem, ſed hunc defectum commode ſuppleri cenſent accentuum obſervatione. Nec deſunt ingenioſi

magnæque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

magnæque autoritatis viri, qui hoc longe convenientius esse arbitrantur, quam quod à veteribus factum sit, qui nulla accentuum habita ratione, ut ipsi putant, mensuram syllabarum non ad ipsam naturam, sed potius ad consuetudinem exigunt poëtarum. Verum hic error non aliunde profluxit, quam ex eo, quod existimarint, ad legem hodiernorum accentuum lecta & cantata olim fuisse poëmata. Longe vero aliter id se habere, jam ante monuimus. Sane siquis scire desideret qualis fuerit antiqua carminum pronuntiatio, is non multum a veritate aberrabit, qui illam similem fuisse existimet, atque sit ea, quæ vulgo in scandendis versibus adhibetur. Magna tamen differentia erat inter cantum, & nudam carminum lectionem. Nam præterquam quod in cantu latius evagentur toni, quam in recitatione, aut communi sermone, utpote in quo vitiosum habeatur si vox ultra diapente, seu tres tonos & semitonium acuatur; etiam hoc intererat, quod in cantu intervallum aliquod relinqueretur inter singulos pedes, quemadmodum fit in versuum dimensione; in recitatione vero intervallum hoc non adeo erat manifestum. Hinc est quod Musici veteres triplicem faciant vocis motum, continuum, diastematicum seu intervallis discretum, & medium inter utrosque. Continua vox est loquentium, quando nempe vocabula ita coeunt, ut nullum sensile intercedat spatium. Odiosum enim singula annumerare verba & veluti guttatim loqui. Cantantium autem vox debet habere intervalla, non sonorum tantum, sed & temporum, ita ut singuli pedes & singula

membra

membra exactè diſtingui poſſint; aliter enim olim ſi fieret, non canere ſed loqui dicebantur. Erant quidem etiam olim aliqua cantica, quæ ἀπνευστὶ & velut uno ſpiritu abſolverentur, ſed levia & nullius pretii, vixque alium uſum habentia, quam ut cantui diaſtematico velut nævi quidam permixta, majorem adferrent ornatum. Ille itaque cantus ab antiquis maxime probatur, qui fit non ἀποτάδην ſed κατὰ κόμμα, non continuus, ſed in partes & membra diſtinctus. Hodie id fere negligitur, poſtquam ſublato metro & carminum dimenſione barbarus & inconditus ſucceſſit cantus. Medium vocis motum Ariſtides Muſicus, eumque forſan ſecutus Martianus Capella & Boëthius adſignant carmina legentibus. Nec videtur diſſentire Quintilianus, cum lectionem poëmatum ita formandam eſſe præcipit, ut neque proſæ, neque cantui fiat ſimilis. Dionyſius tamen Halicarnaſſenſis & Nicomachus Geraſenus, & alii niſi fallor Muſici ſcriptores, vocem legentium à communi ſermone non diſtinguunt. Quoſcunque ſequi malueris, illud firmum fixumque manet, veteres accentuum habuiſſe rationem longe diverſam à ſpuriis iſtis accentibus, qui hodie in uſu ſunt; quos ſi admiſeris, nunquam efficies ut vel cantus, vel forma carminis ſibi conſtet. At vero ſi antiquos revoces accentus, convenientes veræ & antiquæ ſyllabarum quantitati, tantam numerorum ſenties ſuavitatem, ut vel ſola carminum lectio cuicunque hodierno cantui invidiam poſſit facere.

Inſtant tamen docti nonnulli viri & audacter affirmant, nulla in lingua Latina reperiri vocabula,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

bula, quæ longum in ultima accentum habeant syllaba, attestantibus id Quintiliano & plerisque antiquis Grammaticis, ideoque non esse verisimile aliter cantata aut recitata fuisse in poëmatis vocabula, ac vulgo in prosa pronuntientur. Sed vero si horum admiseris sententiam, perit omnis poëmatum cantus. Qua enim quæso ratione musicis numeris adstringi possit, *Tityre tu patulæ recubans*, &c. si *patulæ* & *recubans* accentum habuerint in antepenultima, & pro anapæsto fiat quodammodo dactylus. Quapropter omnino necesse est, aliter in prosa, aliter in carmine sonuisse vocabula, quod & Musici, & ipse quoque Quintilianus fatetur, cum distinguit inter recitantium & canentium pronuntiationem, & poëtas ait producere mediam in *vólucres*, cum in vulgari sermone corripiatur. Quin & idem reprehendit in Latino sermone, quod nullas in fine syllabas habeat longas, unde ut opinor satis manifeste conficitur, eadem vocabula alios in communi sermone & soluta oratione, alios vero in cantu, forsan & in poëmatum recitatione, habuisse accentus. Quod siquis secus existimet, ostendat velim qua ratione cantus apud Romanos constare potuerit. Scio quidem, prava longi temporis consuetudine, quorundam auribus & animis adeo firmiter inhærere vulgarem pronuntiationem, ut risum moveat, si quis in pentametrorum fine accentum à penultima in ultimam retrahat syllabam; sed rideant sane, si ad evertendam Græcorum simul & Latinorum cantum, solam hodiernam sufficere existiment consuetudinem. Expediant si possint, quomodo pentametri duobus anapæstis à Musicis

ſicis terminari potuerint, ſi penultima producatur ſyllaba. Quare non quidem multum refragabor, ſiquis in recitatione Latinorum poëmatum ultimas ſyllabas unquam productas fuiſſe negaverit; ſed vero in cantu id ipſum fieri potuiſſe ſiquis contendat, idem etiam merito affirmet Latinos canere neſciviſſe. Interim vel hic ipſe defectus, quod contra pronuntiationis conſuetudinem ultimas ſæpe ſyllabas in cantu producerent, juſta ſatis poſſit videri cauſſa, quamobrem non tam ſua quam Græcorum Romanis placuerint cantica.

Ut vero ad noſtri ſeculi poëmata redeam, vere de illis dici poteſt, nec accentuum, nec ſyllabarum quantitatis in iis haberi rationem. Ne quidem intelligas verſus eſſe, quos legas, ſi ſimiliter finientem auferas clauſulam. Hæc ſola carmen facit, etiam ſi nihil aliud accedat, dummodo certus & definitus ſyllabarum præceſſerit numerus. Cujuſcunque vero naturæ & ordinis iſtæ ſyllabæ fuerint, id perinde eſſe creditur. Abeſt itaque rythmus, abeſt pedum metricorum obſervatio, qui ſi ullibi occurrant, caſu id fit, non arte aut ſtudio; cum promiſcue licitum ſit, cujuſcunque menſuræ ſyllabas cuilibet aptare loco præterquam in ultima ſede: ut vere de hujus ſeculi verſibus dici poſſit, illos uno tantum pede decurrere, quod ut puto plerique, qui hodiernæ metricæ leges tradidere, libenter agnoſcent. Siquis igitur verſus, qui hoc noſtro tempore in uſu ſunt, in membra ſeu pedes diſſolvat, magnam ilico inæqualitatem deprehendet, utpote in quibus iambi copulentur trochæis, dactyli anapæſtis, aliiſque alii pedes, qui tamen

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

commode jungi nequeunt, propter numerorum & temporum diſcrepantiam. Longa quidem conſuetudo facit, ut inconcinno iſto vocis motu aures noſtræ non offendantur; ſed profecto, ſi quem inæquali & incompoſito adeo inceſſu ambulantem videamus, vix eſt ut eum mentis compotem exiſtimemus. Quod ſi medicos convenias, & illi quoque unanimi conſenſu fatebuntur, peſſimæ & afflictiſſimæ valetudinis certiſſimum eſſe indicium, diſparem & perturbatam arteriarum percuſſionem. Quamvis vero hæc numerorum confuſio in vernaculis poëmatis plurimum diſplicere debeat, ſi vel ſimpliciter recitentur; multo tamen magis eadem diſplicebunt, ſiquis hæc cantui aptare conetur. Eo quippe redacta eſt hodierna poëſis, ut omnem cantum prorſus reſpuere videatur. Cantus enim ſubſiſtere nequit, ſi nulla obſervetur ſyllabarum quantitas: eo vero ſublato, tollitur quoque poëſis, cum poëma non ſit, quod cantari non poſſit. In tota Europa neminem hoc tempore invenias, qui canticum aliquod integrum ſeu plurium ſtropharum, quales ſunt pleræque odæ antiquorum, poſſit abſolvere. Peracta prima ſtropha coguntur ſubſiſtere; ſi enim ulterius progrediantur, mutanda omnino eſt ratio, cum efficere non poſſint ut ſequentes verſus, eoſdem atque ii qui præceſſere habeant numeros: ita ut quot ſtrophæ, totidem quoque diſcrepantes inducendi ſint cantus. Quod ſi quis velit ut ad ſingulas ſtrophas iidem recurrant numeri, uti moris eſt, alterutrum faciat neceſſe eſt, vel ut veteri & obſoletæ alicui cantilenæ infelices ſuos aptet verſus, vel ut abſoluta prima cantici ſtropha

pha

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

pha numeris eam alliget musicis, quo facto, tum demum poterit sequentes versus pertexere & eidem cantui accommodare. Verum hoc si fiat, non jam cantus poëmatis, sed poëmata cantui aptantur, quod non vitiosum tantum, sed & imprimis ridiculum semper fuit habitum. Et tamen aliter hodie nulla fiunt cantica. Apud Italos itaque ea sola cantantur poëmatia, quæ ipsi materialia appellant, in quibus nulla fit strophe, sive reditus ad idem versuum genus. Nam siquis ad odas se conferat, quales Fulvius Testius & innumeri alii scripserunt, illæ elegantissimæ licet, cantari tamen nequeunt, propter diversitatem numerorum. Eadem est ratio eorum carminum, quæ ipsi vocant rimas octavas, quæ nec ipsa uno eodemque cantus genere animari possunt. Neque tamen me fugit & illa quoque vulgo cantari, verum hac conditione quælibet etiam prosa cantari possit, & nisi fallor longe felicius. Notum est quantum sibi indulgeant hodierni Musici in modulandis his & similibus carminibus, cum & longas corripere & breves sæpe producere cogantur syllabas, ut nempe sibi constent numeri; hoc autem si fiat, perit omnino verborum sensus, nihilque omnino de cantico percipies. Illud vero risu imprimis dignum, quod integra sæpe vocabula velut cantu indigna & magna sui parte truncata raptim adeo provolvant seu præcipitent potius; ubi vero longa aliqua vocalis & præcipue A vel O occurrat, tum demum cum exsultatione buccas inflent, tum vocem in mirificos distringant gyros, cum vocis flexionibus simul quoque oculos, cervicem, totum denique torquentes cor-

 pus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

pus. Qui iſtiuſmodi delectantur cantibus, nihil mirum, ſi concinnioris Muſicæ nulla afficiantur voluptate. In Græcorum Latinorumque carminibus, nihil tale deprehendas, cum ſingulæ voces & ſyllabæ adeo exactè numeris ſuis reſpondeant, ut nulla prorſus hæſitatione opus ſit. Quapropter minime acquieſcere poſſum judicio viri ingenioſiſſimi, qui in ſcripto nupero, quo linguam Gallicam Latinæ præferre non dubitavit, inter alia documenta Oden quoque Horatianam inſeruit, ut nempe ex ea, quam appoſuit tralatione, cognoſci poſſit, quantum Gallico concedat ſermo Romanus. Utramque non pigebet adſcribere.

Audivere

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Audivere, Lyce, Dii mea vota Dii
Audivere, Lyce; fis anus, & tamen
Vis formosa videri,
Ludisque & bibis impudens,

Et cantu tremulo pota cupidinem
Lentum sollicitas. Ille virentis &
Doctæ psallere Chiæ
Pulcris excubat in genis.

Importunus enim transvolat aridas
Quercus, & refugit te, quia luridi
Dentes, te quia rugæ
Turpant, & capitis nives.

Nec Coæ referent jam tibi purpuræ,
Nec clari lapides tempora quæ semel
Notis condita fastis
Inclusit volucris dies.

Quo fugit Venus? heu, quove color decens?
Quo motus? Quid habes illius, illius
Quæ spirabat amores,
Quæ me surpuerat mihi

Felix post Cinaram, notaque, & artium
Gratarum facies? sed Cinaræ breves
Annos fata dederunt
Servatura diu parem.

Cornicis vetulæ temporibus Lycen;
Possent ut juvenes visere fervidi,
Multo non sine risu
Dilapsam in cineres facem.

Mes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Mes vœux ſont contens, Iſabelle,
Oüy les Dieux de leur grace ont contenté mes vœux;
Te voila vieille, et cependant tu veux
Faire encore la belle.

En vain d' un chant greſle et tremblant
Tu rappelles l' amour; en vain tu ris, tu jouës;
Il t' abandonne, et s'en va ſur les jouës
De la jeune Toland.

Loins des troncs ſechez il s' arreſte,
Et ne prenant plaiſir, qu' aux fleurs, qu' aux myrthes (verds,
Il fuit la nege, et les triſtes hyvers
Qui blanchiſſent ta teſte.

Ni le brocar, ni les rubis
Ne ſauroient a ton mal apporter de remede;
On ſait ton âge, et la veilleſſe eſt laide
Soubs les plus beaux habits.

Ce teint tout de lis et de roſes,
Cette grace et ce port, qui m' avoient enchanté;
Las! ou ſont ils? et que t' eſt-il reſté
De tant d' aimables choſes?

Iris n' avoit rien de plus beau;
Mais dés ſon orient le ſort fut jaloux d' elle,
Il nous l' oſta pour laiſſer Iſabelle
Vivre autant qu' un corbeau.

Aux jeunes gens il la veut rendre
Un objet ridicule, a leur flame oppoſé,
En leur monſtrant d' un flambeau tout uſé
La fumée et la cendre.

De

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

De utraque Oda, quid ſentiendum ſit, aliorum eſto judicium. Per me licet ut unuſquiſque de his arbitretur pro captu ſuo; mihi ſufficiet hoc ſolum monuiſſe, Oden Horatianam æqualibus ſemper numeris decurrere, & uno eodemque cantu poſſe abſolvi, prout canticorum exigit ratio. At vero ſiquis Gallicam ſequatur interpretationem, non unum, ſed ſeptem habebit cantica, cum ad ſingulas ſtrophas ſeu reverſiones mutandus ſit cantus propter numerorum inæqualitatem. Fruſtra vero argutantur nonnulli, non officere canticis, ſi iidem numeri non recurrant, quia ſcilicet varietas delectet; ſi enim ſic ſentiamus, jam nulla erunt cantica. In tragœdiis & prolixi operis poëmatis poſſit hæc exceptio aliquem ſibi vindicare locum, ſed vero in populari & communi cantu ſi id ipſum licitum eſſe exiſtimemus, jam fiet tranſitus ex uno genere in aliud; cum cantica deſinant eſſe cantica, niſi faciles & ſubinde redeuntes habuerint numeros, ita ut à quibuſvis etiam aliud agentibus addiſci & memoriæ inſculpi poſſint celeriter & ſine labore. In Latina quidem Oda, quam venuſte & decenter quælibet fluant vocabula referre non attinet, cum vel tacentibus nobis ipſa numerorum æqualitas ſua quoque ſponte auribus ſe ſuaviter inſinuet. Nuſquam duo vel tria monoſyllaba ſimul juncta invenias; cum in Gallica interpretatione ſeptem vel etiam octo continuo ordine poſita occurrant, quale nihil apud ullum Græcum vel Romanum ſcriptorem reperias. Nec tamen hoc viro diſertiſſimo imputandum exiſtimo, ſed potius conſuetudini ſermonis Gallici, qui cum verborum non admit-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

tat tranſpoſitionem, effugere vix poteſt, quin multis ſæpe minutis ſulſultet articulis. Verum illud non recte ab eo fieri arbitror, quod Græcos & Latinos reprehendat, quia aliter quam Galli ſua conſtruant vocabula. Negari quidem minime debet in lingua Gallica compoſitionem, ſeu collocationem verborum, proxime accedere ad legem & ordinem naturæ; ſed cum nulla adeo barbara ſit lingua, quæ eadem non gaudeat prærogativa, & quidem tanto magis quanto incultior horridiorque fuerit, omnino conſequetur, ſi hæc ratio valeat, ut inter omnes linguas Græcus Latinuſque ſermo locum teneant poſtremum. Sed quam injuſta hæc ſit reprehenſio, dicat pro omnibus Cicero, cujus verba ex Oratore ad M. Brutum operæpretium fuerit adſcribere. *Omnino duo ſunt quæ condiant orationem, verborum numerorumque jucunditas. In verbis ineſt quaſi materia quædam, in numero autem expolitio. Sed ut cæteris in rebus, neceſſitatis inventa antiquiora ſunt, quam voluptatis: ita & in hac re accidit, ut multis ſeculis ante oratio nuda ac rudis ad ſolos animorum ſenſus exprimendos fuerit reperta, quam ratio numerorum, cauſſa delectationis aurium, excogitata.* Accedat & Quintilianus lib. IX. cap. IV. *Neque ignoro quoſdam eſſe, qui curam omnem compoſitionis excludant, atque illum horridum ſermonem, ut forte effluxerit, modo magis naturalem, modo etiam magis virilem eſſe contendant. Qui ſi id demum naturale eſſe dicunt, quod à natura primum ortum eſt, & quale ante cultum fuit, tota hæc ars orandi ſubvertetur.* Plura qui deſiderat legat quæ ſequuntur. Satis ex his manifeſte patet

Græci

Græci ac Latini ſermonis, antequam cultus accederet, ſimilem olim conditionem fuiſſe ac nunc ſit linguarum omnium, & in ordinandis & conſtruendis vocabulis ſolam naturam habuiſſe magiſtram. Poſtquam vero artes, & præcipue Poëſeos ac Muſicæ ſcientia excoli cœpere, tum demum numerorum potentia & penitiora naturæ arcana reſerata fuere. Quandoquidem vero rudis & impolitus verborum ordo numeros reſpueret harmonicos, mutanda omnino fuit compoſitionis ratio; quæ licet conſuetudini à natura primo traditæ multum adverſaretur, ſuadente tamen utilitate, tot præſertim conjuncta voluptatis illecebris, facile & ipſa in naturam tranſiit. Tanto vero conſenſu à pleriſque receptum fuit id collocandi genus, ut non à Poëtis ſolum & Oratoribus, ſed & in communi quoque & populari ſermone uſurpatum approbatumque fuerit. Major tamen hac in parte Poëtarum fuit libertas, qui & crebrius & audacius tranſponunt verba, quam Oratorum, & horum item, quam ſimpliciter loquentium: quod vel ex Comicis deprehendi poſſit, quorum ſermo, licet & ipſe liberioribus numeris adſtrictus, ad communem tamen loquendi rationem proxime accedit. Inter tot vero Græcos Latinoſque qui etiamnum ſuperſunt ſcriptores, plurimos quidem invenias, qui plebeium dicendi ſecuti ſint genus, vix tamen aliquem reperias, qui ſimiliter deſinentia, aut cadentia ſimiliter, aut etiam plura eodem modo declinata, conjungat vocabula. Omnibus his vitiis facile occurritur compoſitionis varietate, cujus quamvis non eadem apud omnes ſit ratio, cum aliter docti, aliter vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

indocti ſcripſerint, in eo tamen utrique conveniunt, valere eam quamplurimum, non ad delectationem tantum aurium, ſed & ad affectus movendos. Secus vero id ſeſe habet in quibuſvis hodiernis linguis, à quibus abeſt omnino ille compoſitionis ornatus, cum pleræque hac noſtra tempeſtate gentes in conjungendis vocibus, non artis, ſed rudis minimeque politæ naturæ legibus obtemperent. Sæpe videre eſt etiam ab illis qui præcipue verborum ſtudent delectui, octo vel decem monoſyllaba ſimul conſtrui, alias vero complura adeo prolixa & aſpera conjugari vocabula, ut vel ſingula linguam & ſpiritum laſſare & pene exhaurire valeant; quod utique non contingeret, ſi compoſitionis recepta ab iis foret ratio, licitumque eſſet membra ſermonis tranſponere, & brevia longis, aſpera mollibus, ſimplicia compoſitis diſtinguere, ſingula denique verba loco & ordine convenienti diſponere, unde demum concinna & omnibus partibus abſoluta exſurgat oratio. Quanta numerorum apud antiquos fuerit obſervatio, tot Rhetorum & Grammaticorum ſatis declarant præcepta, quæ ſi quis diligenter evolvere dignetur, parum aberit quin eos nimium ſuperſtitioſos in conſtruendis & componendis vocibus nonnunquam fuiſſe exiſtimet. Quis non perinde eſſe putet ſiquis dicat, *vir eſt optimus*, aut, *vir optimus eſt?* Auribus tamen minime ſatisfacere credebatur, ſiquis vel in communi ſermone poſterius uſurpaſſet. Et tamen longe magis ſe circumſpicit numerus oratorius, ac plus etiamnum poëticus, qui difficulter admodum metricæ legibus obtemperat, niſi liberiori fruatur

tur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

tur compoſitione. Quod ſi antiquos conſulamus Muſicos, quis non illos ad faſtidium pene delicatos fuiſſe cenſeat, cum non contenti communi & recepta ſyllabarum diviſione, ad inſtruendum cantum brevibus breviores & longiores longis exigerent ſyllabas? Quippe cum tota Muſica ab exacta temporum pendeat obſervatione, & quanto quæque ſyllaba pluribus conſtet elementis, tanto plus temporis requirat ut commode exprimatur; ne ſyllabarum quidem naturam negligendam eſſe credebant, veluti ad leniendum & aſperandum cantum præcipue neceſſariam. Nec Muſici tantum fuere qui hæc præciperent, ut teſtatur Marius Victorinus, ſed & in Oratore nonnihil hæc momenti habere credidit Quintilianus, & ante illum Dionyſius Halicarnenſis, in præclaro iſtoc de collocatione verborum libello, ubi docet differentiam inter voces ὀδὸς, ῥόδος, τρόπος & στρόφος, in quibus licet breves dicantur priores quælibet ſyllabæ, ſatis tamen ſenſile eſt temporis diſcrimen, quod in ſingulis, ut diſtincte proferantur, requiritur. Quam vero diverſa linguarum noſtri temporis ſit ratio, fruſtra ſimus ſi explicare conemur, cum nemo, ut opinor, reperiatur, qui non libenter agnoſcat, adeo hoc ſeculo negligi ſyllabarum quantitatem, ut nec poſitio, nec plurium conſonantium occurſus, vocem loquentium aut cantantium remoretur, quin potius, invita & reluctante natura, quantumvis aſperæ & difficiles ſyllabæ à pleriſque etiam cultiſſimis Europæ gentibus raptim & concitato ſpiritu proferantur. Minus quidem hac in parte peccatur ab Italis & Hiſpanis, quorum linguæ ut pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

pius à Latino absunt sermone, ita etiam exactius numeros & quantitatem observant: negari tamen non potest, etiam ab his nonnunquam violari syllabarum rationem, dum positionis, ipsiusque adeo naturæ, leges libere adeo transiliant. Longe à me abest ut linguarum velim instituere censuram, aliasque aliis multum præferri debere odiose contendam: illud tamen cum venia dictum sit, licet natura optima rerum magistra omnibus hominibus linguam indiderit, quæ explicandis animi sui sensibus sufficiat; negari tamen vix posse, quin ut institutis moribus & vivendi ratione aliæ gentes aliis cultiores habentur, ita quoque alterum sermonem altero magis esse concinnum & elegantem. Sed neque invidiosum fore arbitror, præsertim apud gnaros, si dixero priscum Græcorum sermonem ex omnibus iis quorum superest notitia, non primum tantum tenere locum, sed & illum tenere sine æmulo, ne ipso quidem contradicente olim omnium gentium victore populo. Nec tamen existimandum istiusmodi eum fuisse ab ipsis statim incunabulis; primam quippe hujus si excutiamus originem, nihilo meliorem aliarum gentium linguis eam fuisse deprehendemus. Asperam, scabram, & omnis dignitatis & elegantiæ expertem fuisse vel inde satis intelligas, quod vix alia quam monosyllaba priscis temporibus habuerit vocabula, ceu illa nomina essent ceu verba. Nesciebant insuper ea in modos, tempora, personas & casus inflectere, denique quod in Barbaris postmodum risere, idem hoc in suis agnovere majoribus. Adjuvante dein ipsa cœli temperie accessit cultus, accessit Musicæ & Poë-

ticæ

ticæ amor, acceſſit æmulatio ingeniorum, & propoſita in hoc certamine vincentibus præmia; illa quidem magna, minora tamen ea quæ ſubſequeretur gloria: hæc ſunt quæ barbariem pepulere, quæque effecere, ut qui inter Græcos primi literis operam dederunt, neglectis aliis ſcientiis, ſoli propemodum poëticæ animum applicuerint. Sine mora itaque excolendæ linguæ totos ſe addixere, id præcipue laborantes, ut verba non rebus tantum, ſed & cantui & nervis congruerent. Tum quoque commenti ſunt leges metricas, menſuras nempe ſyllabarum, pedum, rythmorumque varias formas, aliaque complura huc pertinentia, de quibus cum multa ſatis jam dixerimus, opus non fuerit eadem repetere. Quandoquidem vero nihil æque carminum dignitati viderent officere, quam monoſyllabicarum frequentiam dictionum, veluti quæ præterquam quod humile & ſervile quid reſonent, etiam ſalebroſam & aſperam efficiant orationem ſi plures ſimul jungantur; amplificavere voces ſuas, duplicando eaſdem ſyllabas non in principio tantum ſed & in fine addendo augmentum & terminationem. Hinc factum ut verba quæ prius erant monoſyllaba, fierent polyſyllaba, eademque vox ab una ad ſex vel ſeptem nonnunquam excreſceret ſyllabas, manente quidem priori ſignificatione, ſed quaſi longi ſyrmatis appoſitione aliquam ſibi acquirens majeſtatem. In nominibus vero, quod illa non patiantur ſimilia augmenta, aliam inſtitere rationem, formantes ea à participiis, vel etiam cum aliis nominibus conjungentes; quamque iis feliciter hæc compoſitio ſucceſſerit, norunt ii qui

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

aliquam hujus linguæ aſſecuti ſunt peritiam. Quid jam referam tot caſus & flexus & terminationes nominum, patronymica, poſſeſſiva, intendentia aut remittentia ſignificationem, notantia motum è loco, amplificativa, diminutiva, & complura alia accidentia, vel ſoli huic linguæ peculiaria, vel ſaltem adeo hac in parte copioſæ, ut ſi pleræque aliæ gentes opes ſuas ſimul colligant, & cum Græcorum conferant divitiis, vix aliud efficiant, quam ut ſuam prodant inopiam & egeſtatem. Scio quidem non deeſſe, qui hæc omnia velut ſupernumerariam rideant ſupellectilem, tutoque à linguis poſſe abeſſe exiſtiment diminutiva, veluti quæ officiant, quam proſint potius majeſtati linguæ; verum ſi hæc ratio valeat, ſupereſt ut omnes proſcribamus elegantias. Eſt quidem verum, Italos cum blandientibus iſtis abundent voculis, ſæpe in his nimium laſcivire, & non Ionas tantum, ſed & quoſdam olim Afros, præcipueque Apuleium, adeo hac in parte eſſe ridiculos, ut delicatis nauſeam, moroſis etiam bilem moveant: ſed ſi propter nimium & præpoſterum uſum, quæ bona ſunt, deſinant eſſe bona, nihil demum in rebus humanis quod merito laudetur ſupererit. Tollas ex Ariſtophane Σωκρατίδιον, Ἐυριπίδιον, & infinita alia hujus generis, ſimul quoque magnam elegantiarum tolles partem. In gravi vero & ſerio argumento ecquis Græcorum aut Latinorum eſt qui iſtiuſmodi ridicula non damnarit? Homerus quidem adeo ab iis abſtinuit, ut nuſquam in eo aliquod compareat diminutivum. Et ſane male, ut puto, excipiatur, ſiquis virum fortem iſtiuſmodi adoriatur blandimentis: ſed vero nu-

triculis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

triculis & pueris ſiquis iſtas eripiat dictiunculas, ſimul quoque iſtorum tollet ſermonem. Quibus ergo hæc & ſimilia diſplicent, iiſdem etiam nimia ſegete luxuriantes diſpliceant agri. Quanto melius Romani, qui licet gloriæ ſuæ ſtudioſiſſimi eſſent, nunquam tamen ſuam cum Græca auſi ſunt committere linguam, quin potius eam propemodum barbaram eſſe affirmant, ſi cum hujus ſermonis ſplendore & elegantia conferatur. Etiam qui florentiſſimis vixere temporibus, ſufficere ſibi hanc laudem teſtantur, ſi non ut æmula, ſed ut diſcipula Græcæ lingua habeatur Latina. Tanta denique hujus linguæ fuit reverentia, ut non ab hominibus, ſed ab ipſis Diis facta conſtitutaque crederetur. Verum ut id non ſit, id ſaltem fateamur neceſſe eſt, Muſicos & Poëtas fuiſſe qui artem bene loquendi Græcos docuerint. Quamvis vel ipſa hujus linguæ natura ſatis id oſtendere videatur, clarius tamen ipſum hoc evincunt, mores & priſca hujus gentis inſtituta, quibus propemodum ſanctum erat pleroſque vitæ humanæ actus ad ſonos revocare muſicos. Urbes condere, mœnia moliri, conciones advocare & dimittere, Deorum & virorum fortium laudes celebrare, claſſes & exercitus regere, pacis bellique munia obire, omnia denique concentu temperabantur muſico, adeoque ipſæ quoque plagæ ad numeros harmonicos ſontibus ingerebantur. Denique ut paucis abſolvam, lyra eſt quæ veterem rexerit Græciam, plureſque in ea formarit Reſpublicas, quam nunc toto reperiantur terrarum orbe. Hæc eſt quæ docuerit populos abſque ſummo magiſtratu aut principe vivere, mutuam obſer-

varc

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

vare concordiam, tyrannos expellere, leges facere & custodire; ut non immerito Plato dixerit, salvas perstare Respublicas, quamdiu eadem perstet Musicæ ratio: illa vero mutata mutari quoque statum Reipublicæ. Quod siquis ad Seras, vulgo Sinas dictos sese conferat, etiam illic deperditam una cum pristina felicitate, veterem intelliget Musicam. Quæ vulgo istic frequentatur, est quidem apta theatris, sed doctioribus in hac arte adeo displicet, ut ne dignam quidem Musicæ nomine affirment, si cum antiqua conferatur, cujus jacturam adeo deplorant, ut omnibus pene aliis calamitatibus hanc graviorem existiment. Utrum hoc ex morum, an vero ex linguæ mutatione acciderit, nondum satis compertum; ut ut sit, Platoni libentius credet, quisquis ea quæ ipse de Græcis scribit, etiam alibi contigisse cognoverit. Sed vero nusquam æque atque in ipsa hodierna Græcia, clarius hujus rei invenias exemplum, postquam nempe una cum moribus, linguam quoque & Musicam adsumsere barbaram. Linguam si spectes, nihil in ea concinnum & elegans, nulla observatio veræ syllabarum quantitatis, utpote qui spuriorum tantum accentuum habeant rationem, nullus denique verborum delectus; vixque aliud præter perpetuum in ea intelligas iotacismum. Cantum si audias, ille omnino talis est, qualis ex distorta & depravata adeo possit sperari lingua. Jam suo tempore conquerebatur Maximus Tyrius periisse veterem Græcorum Musicam, sed sane siquis hodiernum audiat Græcorum cantum, injusta possit videri istæc querela. Quamvis enim eo, quo ipse

ipſe ſcribebat ſeculo, propter linguæ & pronuntiationis immutationem, negligeretur propemodum verborum cantus, vixque alia in uſu eſſet Muſica, quam quæ nervorum tibiarumque ſono blandiretur, ſupererat nihilominus rythmus, qui vicem verborum quodammodo ſuppleret. Noſtra vero tempeſtate cum neutrum ſuperſit, nihilo cæteris gentibus ſunt anteponendi, adeoque ſive Græcos, ſive barbaros dixeris, idem dixeris. Minime itaque adverſabor, ſi qui hujus ſeculi favent linguis, eas cum hodierno Græcorum committant ſermone: veteribus enim Græcis litem velle movere, nimis id infelicis fuerit judicii, cum ne ipſi quidem tale quid unquam auſi fuerint Romani, quorum tamen ſermo haud paulo melior eſt linguis pleriſque vernaculis, illæ quippe ſi non ſint barbaræ, à barbaris tamen formatas eſſe fateamur neceſſe eſt. Negari quidem non poteſt à magnis ingeniis multum iis cultus acceſſiſſe, duobus præſertim proxime elapſis ſeculis; remanet nihilominus illa ipſa quam barbari indidere forma, cum nulla ſit Europæa lingua quæ non & caſibus & conjugationibus vocabulorum penitus deſtituatur, & adeo quidem, ut ſi vel facillima & leviſſima quæque exponenda ſint, multo plura attexamus vocabula quam neceſſitas aut ratio exigat. Si exprimere velimus, *Accepi literas Antonii*, dicimus, *Ego habeo acceptum illas literas de Antonio.* Quod ſiquis vernacule reddere velit, *vidimus lucum terrarum pulcherrimum, ingreſſique conſedimus*, vide quantis opus ſit ambagibus, *nos habemus viſum unum lucum illum plus bellum de tota illa terra*;

ubi essentes intrati, nos nos sumus assisi. Nescio an se magis, an patrium suum prostituant sermonem, qui istiusmodi laudant balbutiem. Taceo innumera monosyllaba quibus totæ periodi & integri sæpe absolvuntur versus; prætereo compositionem seu collocationem & inconcinnam vocabulorum structuram, cum tam multa brevia brevibus & longa longis copulantur: omitto denique neglectam syllabarum mensuram, & complura alia quæ vel desunt, vel admodum incommodè se habent in plerisque hujus ætatis linguis. Ne vel ipse hodiernus Græcorum excipiendus est sermo, utpote quorum lingua easdem fere ac Latina perpessa sit calamitates, cum non dativis solum, sed & comparativis, superlativis, perfectis, imperfectis, & compluribus aliis modis & temporibus destituatur, necesseque habeat aliarum vocum additione hunc supplere defectum.

Nec tamen cum illis sentio, qui plerasque hodiernas linguas eodem habendas esse loco arbitrantur; sed cum odiosum sit imprimis alias aliis præponere, cum unaquæque gens quanto magis barbara, tanto sæpe superbius de patrio suo judicet sermone, aliis libenter litem hanc relinquemus: ut tamen quid de singulis statuendum sit facilius intelligatur, operæpretium fuerit expendere nonnulla cuique linguæ peculiaria.

In omnibus itaque linguis duo præcipue considerandа sunt, sonus nempe vocis & accentus. De sono prius dicemus. Ille cum è literis formetur, sivæ eæ sint vocales, sive consonæ, utique harum natura nota esse debet. Non jam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

animus est explicare, qua ratione singulæ literæ in ore formentur, de eo enim multi multa satis scripsere, sed solum percurremus potestatem & efficaciam, quam nonnullæ habeant literæ præcipueque vocales in significandis moribus & gentis cujusque ingenio.

Omnium itaque literarum, ut dignitate, ita quoque ordine prima est apud plerasque gentes A vocalis. Quam vastam & sonoram hæc edat vocem, vel ipse satis declarat oris hiatus. Suavitate fere destituitur, sed magnificentia aures propemodum percellit. In culto sermone magnam præ se fert majestatem, eadem tamen, si nimium producatur ejus sonus, vocem edit rusticam. Quomodocunque tamen prolata semper grande & vastum quid sonat. Merito itaque laudatur non in Bucolicis tantum, sed & in dithyrambicis scriptoribus, qui latos & patentes affectant sonos, ideoque perpetui sunt in Dorismis.

Quæ proxime sequitur vocalis E, non quidem gravem, sed tamen clarum satis & elegantem habet sonum. Nulla quod sciam gens est quæ hac litera destituatur: præcipueque in ea hoc observandum, quod quantumvis frequenter occurrat, non tamen offendat aut fastidio quemquam afficiat, etiamsi geminetur & in longum protrahatur ejus sonus.

At vero alia omnino est ratio tertiæ vocalis apud Græcos, quæ licet ex duobus EE credatur composita, sonum tamen edit peculiarem & plane diversum. Nulla hac blandior est litera, cum fractum & effeminatum habeat sonum. Grandi itaque & sublimi orationis ge-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

neri penitus est contraria, quapropter apud dithyrambicos Poëtas vix unquam occurrit. Quod siquis frequenter ea utatur, non humilem tantum, sed & insipidam facit orationem. Magna tamen est hujus literæ potentia in mollibus & amatoriis canticis, inest quippe huic quidpiam ἑλκυστικόν, delectanturque ea impripis mulieres.

Nulla est exilior vox illa quam efficit I vocalis. In levibus & argutis usum habet præcipuum. Multum tamen discrepat hujus sonus, prout nempe ille plus minusve ad dentes alliditur. Alias itaque stridet hæc litera, alias rogat, blanditur & supplicat. Nonnunquam & admirationem exprimit, sed in rebus inanibus & minutis. Quam vero illa aures offendat, si crebro nimis iteretur, satis declarant hodierni Græci, qui perpetuo Iotacismo reliquas fere ita obtundunt vocales, ut eos hinnire potius quam loqui existimes.

O vocalis sonum quidem habet vastum & aliqua ratione magnificum, longe tamen minus quam A, cum & obscurum & sæpe rusticum quid sonet, præsertim si duplicetur & longius protrahatur. Nulla hac aptior litera ad significandam magnorum animalium & ingentium corporum seu vocem, seu sonum. Præclare itaque pelagi murmur explicat Homerus, cum inquit, ἀμφὶ δέ τ᾽ ἄκραι

Ἠϊόνες βοόωσιν ἐρευγομένης ἁλὸς ἔξω.

Non dixit βοάουσι sed βοόωσι ad ampliorem similitudinem fluctuum maris exprimendam. Adeo hoc vocabulum tam apte positum admirabatur

batur Plato, ut non desint qui scripserint eum præ desperatione istiusmodi ὀνοματοποιΐας formandi deterritum combussisse poëmata sua, ne nimium Homero videretur inferior. Infimum dignitatis gradum tenet U vocalis. Non obscurum tantum, sed & fœdum & impurum ut plurimum efficit sonum, cum naribus potius quam ore proferatur. Lepide itaque Aristophanes in Pluto inducit Sycophantam olfacientem sacrificiorum nidorem, qui totum senarium naribus absolvit; ὒ ὗ, ὒ ὗ, ὒ ὗ, ὒ ὗ, ὒ ὗ, ὒ ὗ. Ubi tamen notandum priorem cujusque pedis syllabam scribi debere spiritu tenui, sequentem vero denso, ipsa id exigente rei natura.

Ultima apud Græcos vocalis Ω, licet ex geminato O composita credatur, sonum tamen efficit diversum, & velut medium inter O & A. Est hæc vocalis magis sonora & magnifica quam O, minus tamen quam A, cum & sonum habeat obscuriorem & propemodum in ipsis faucibus sepultum. Dithyrambici eo imprimis gaudent, & imprimis Pindarus.

De consonis literis nihil dicemus, nisi id unum earum dignitatem longe subsistere infra dignitatem vocalium, omninoque eos recte sentire, qui existimant, prout quæque lingua pluribus abundet vocalibus, tanto eam cultiorem esse censendam, nec quidquam ornatui & elegantiæ æque obesse, quam frequentiam consonarum. Non tamen propterea putandum eam demum præstantissimam fore linguam, quæ tota è diphthongis aut vocalibus fuerit composita, quis enim non offendatur siquis tam arctis limitibus humanum adstrinxerit sermonem; sed vero

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

vero neminem fore arbitror, qui non libenter admittat illam esse laudatissimam linguam, quæ cum varietate conjunctam habuerit facilitatem, cum quod uniforme sit diu placere non possit, & varietas semper afferat delectationem. Hæc ut adsit, jungendæ sunt vocalibus consonantes literæ; nec perinde fuerit quænam illæ sint, etiam hic delectus habendus est, cum ut in vocalibus, ita quoque in consonis literis aliæ aliis locum teneant digniorem. Vitandi itaque imprimis sunt non Iotacismi tantum, sed & μυτακισμοὶ, & σιγμοὶ & λαβδακισμοὶ, & insuper ῥωτακισμοί. Notum est quantum antiquis Atticis displicuerint Euripidis σίγματα. Notum quoque quam hæc ipsa litera S, & præterea M, quibus complures Latinæ terminantur dictiones, adeo ingratæ visæ sint ipsis quoque Romanis, ut hanc velut sibilantem, illam velut mugientem, elidendo exterere & expungere è lingua Latina conati fuerint sæpissime. Sed & in Spartana dialecto, magnifica alias velut majori ex parte Dorica, quam odiosus fuerit R literæ sonus, quæ in fine omnium pene vocabulorum personabat, satis testantur veteres, & adeo quidem, ut caninum potius quam humanum gens ea æmulari sermonem, & hirrire potius crederentur quam loqui. Ecquis dubitet, quin à bellicis hujus populi moribus, asper etiam & minax iste promanarit sermo? Dorica dialectus & ipsa magnifica & bellica, sed absque iracundia, quapropter libenter eam amplexi sunt complures Græcorum populi, missa illa Laconum & Eretriensium scæva canina, non tam hostibus, quam hospitibus & amicis formidanda. Dori-

cæ contraria eſt omnino Dialectus Ionica. Nihil hac mollius & effeminatius, ſive ubique occurrentem literam ἦτα, ſive frequentes vocalium hiatus, ſive etiam crebra diminutiva, aliaque ſpectes blandimenta. Adeo huic populo terrori fuit, quidquid eſſet virile, ut quibuſque fere rebus maſculis, & belluis etiam quamtumvis immanibus, ſequioris ſexus articulos præpoſuerint. Hi tamen facete ridebant Dores, velut vaſtos & ruſticos homines, ipſi viciſſim ab his ridebantur velut cinædi. Nec tamen defuere inter hos qui virtutem ſuæ dialecti Dorico præponerent robori, gnari nempe quantam in hominibus potentiam habeat vox blanda & nequam, quæ ipſi etiam Herculi excuſſerit clavam & ſervire coëgerit. Quod ſi hodiernas contemplemur linguas, clarius & certius etiamnum exhibebunt argumentum, unde colligere poſſimus, pro vario gentium ingenio & indole, variam quoque à natura conformatam fuiſſe loquendi rationem. Faſtum & ingenitam Hiſpanorum gravitatem horum quoque ineſſe ſermoni, facile quis deprehendet, ſiquis crebram repetitionem literæ A, vocalium longe magnificentiſſimæ, ac item prolixa illorum ſpectet vocabula. Sed & crebra finalis clauſula in O vel OS grande quid ſonat. Notandum tamen, id quod ſupra monuimus, cum fortunis gentium mutari quoque ſermonem, unde ut opinor fit, quod hodierna Hiſpanorum ſcripta, & præſertim poëmata, licet multum argutæ vernilitatis, minus tamen pompæ & ornatus habeant. Unde etiam factum credo, quod citius multo quam
olim

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

olim loquantur, & aliquanto acutiorem, quam ſolebant, emittant vocem. Germanorum ut vaſta ſunt corpora, ita quoque vaſtus eſt ſermo. Plus ille ponderis quam majeſtatis habet, qua tamen non deſtitueretur, niſi illam infringeret ſyllabarum ipſas quoque fauces abradentium aſperitas, & frequens nimis conſonantium concurſus. Mollis & muliebris eſt omnino Anglorum lingua, cum litera A rariſſime, ἦτα vero ubique fere utantur. Iſtam tamen mollitiem temperat multum ſyllabarum aſperitas & conſonantium frequentia literarum. Gallorum ut fervens & volubile eſt ingenium, ita quoque neſcio an ulli mortales velocius loquantur. Si non robore, at ſaltem impetu cæteris eos præſtare gentibus, vel ipſe ſatis teſtatur ſermo, qui totus è bellicis & ferientibus conſtat vocabulis. Ut vero hæc clarius accipiantur, non erit ab inſtituto alienum, ſi ſingularum gentium ſermonem ad accentus ſeu pedes & numeros muſicos redigamus. In lingua Gallorum illud imprimis notatu dignum, quod nullum in hac vocabulum triſyllabum reperiatur, quod dactylum conſtituat. Tota pene Gallorum lingua conſtat ex Iambis & anapæſtis. Tragicis itaque & heroicis affectibus exprimendis, ſi quis illa bene utatur, ſatis eſt apta; comicis vero & mollibus non item: cui è contrario lingua Anglica perquam eſt commoda, hæc quippe tota fere conſtat ex dactylis & trochæis. Ut vero in Gallica nullum dactylum, ita in tota lingua Anglica nullum invenias vocabulum quod anapæſtum conficiat. Sed neque in polyſyllabis ullam vocem reperias, quæ

accentum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

accentum habeat in poſtrema ſyllaba, raro in penultima, frequentiſſime & fere ſemper exauditur ille in antepenultima. Nulla itaque lingua aptior eſſe poſſit trochaicis & iis verſibus qui ab Italis vocantur *Sdruccioli*. At vero Iambici, Heroici & anapæſtici minus commode fluunt, quod plerique fere monoſyllabo terminentur, raro diſyllabo, nunquam vero, aut certe vitioſe triſyllabo. Aliter id ſe habet apud Gallos, quorum vocabulis, quotcunque demum illa fuerint ſyllabarum, accentus ſemper fere ultimis adeſt ſyllabis, rarius penultimis, nunquam vero antepenultimis. Licet itaque in ſermone Gallico raro A longum, ἦτα vero ſeu E longum ſatis frequenter exaudiatur, non tamen propterea mollis & remiſſa eſt hæc lingua quemadmodum Anglica, quia enim ſyllaba longa & aures feriens ultimum aut penultimum in ſingulis vocibus poſſidet locum, ideo motus habet imprimis maſculos & viriles. Ipſum hoc obſervare eſt in lingua Hiſpanorum, quorum vocabula ut plurimum terminantur anapæſto aut ſpondeo. Nec tamen deſtituitur aliis pedibus, uti dactylis, iambis, trochæis & aliis; ſed cum iſti priores præcipue perſonent, minime mirum videri debet, horum idioma tantam præ ſe ferre majeſtatem, ut non modo alias dialectos à Latino ſermone prognatas, ſed & omnium gentium linguas ſuperet longiſſime. Italorum lingua miram habet pedum varietatem, adeoque in omnes partes eſt verſatilis, ut omnia fere carminum cantuumque admittat genera, ſolaque propemodum ſit quæ cæterarum noſtri temporis linguarum dotes

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

continere videatur. Gravitate quidem nonnihil cedit Hiſpanicæ, cultu vero ſuperat. Utriſque hoc commune, quod careant litera ἦτα apta ad exprimendos affectus molles; ſed hunc defectum facile compenſat ipſa numerorum concinnitas. Germanorum ſermo licet nullum non admittat pedum genus, difficulter tamen hic ſe inſinuat delicatioribus auribus, non tantum propter crebrum ſibilum literæ S, & concurſum nimium conſonarum, & præterea ruſticum & obſcurum A & O longi ſonum, ſed & quod maxima ſui parte conſtet ſpondeis & moloſſis. Polonorum lingua ferream propemodum habet duritiem, utpote in qua uni vocali ſeptem vel octo ſæpe copulantur conſonantes. Pene dixeris eos abſque vocalibus loqui. Memini certe vidiſſe me aliquem ex ea gente, qui palam jactaret ad formandam vocem & explicandos animi ſenſus, vel ſolas ſibi conſonantes ſufficere literas. Qui Polonice callent, facile & horum ſermonem ad pedes & tempora ſyllabica poterunt revocare, cum nulla uſquam ſit lingua numerorum expers: ſed operam ludamus ſi vel hanc, vel quamcunque aliam ſeptentrionalium gentium linguam proſodiæ legibus adſtringere velimus, cum rigidi borealium populorum animi vix ullis ſe patiantur molliri concentibus; parum nempe virile reputantes, armorum ſonitum fortiter ſuſtinuiſſe, & tamen numeris ceſſiſſe harmonicis. Scio quidem ea quæ Saxo Grammaticus de quodam Daniæ prodidit rege, quomodo ſcilicet ille citharœdi cantu ad furorem & inſaniam uſque redactus fuerit; ſed profecto

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

cto mera hæc fabella. Iste Grammaticus ut multa alia aliunde petita ad suos transtulit usus, sic quoque historiolam quæ de Alexandro & Timotheo narratur musico, alicui gentis suæ principi adscribere non dubitavit. Tantum abest ut barbaro isto seculo usquam terrarum, nedum in Dania, reperiri potuerit musicus aliquis, qui solo citharæ tactu vehementes adeo concitarit affectus, ut ne nunc quidem longe florentiore musica, ullus in tota reperiatur Europa, qui tale quid vel possit, vel audeat. Jam à mille & pluribus annis cessat inter musicos magna illa ciendorum affectuum potentia, ex quo nempe desiit usus & scientia rythmi, qui solus poterat præstare, id quod nullus hoc tempore possit præstare musicus. Quanta sit rythmi efficacia, vel exinde satis conjicere possimus, quod inter triviales quoque musicos olim non defuerint, qui etiam quibusvis oratoribus de artis præstantia non modo litem movere, sed & palam de illis ausi fuerint triumphare, veluti qui absque ullo vocis articulatæ subsidio, vel solo adhibito rythmo, tantum in hominum animos exercerent imperium, ut quoscunque libuisset affectus fortius & vehementius commoverent, quam ulla quantumvis elaborata inducere possit oratio. Nec diffitetur hoc Hermogenes scripto περὶ ἰδεῶν, cujus verba non pigebit adscribere; καὶ τάχα ἂν ἡμῖν παῖδες μουσικῶν ἀμφισβητήσειαν, εἰ μὴ καὶ περὶ τῆς ἐννοίας θετέον αὐτά. δύνασθαι γὰρ φήσουσιν τὸν ῥυθμὸν καὶ καθ' ἑαυτὸν χωρὶς ὅλως ἐνάρθρου φωνῆς ἡλίκα οὐδεμία λόγων ἰδέα. καὶ γὰρ ἥδιους παγῆσαι ψυ-

χὰς

χὰς ὑπὲρ ἅπαντα πανηγυρικὸν λόγον εἶναί φασι τοὺς λόγους ἐπιτηδείους. καὶ τοὐναντίον αὖ λυπηρὰς ὡς οὐδεμία ἐλεεινολογία. δύναται δὲ καὶ θυμὸν κινῆσαι μειζόνως ἢ πάντα σφοδρὸν καὶ καταφορικὸν λόγον. ὅλως δὲ περὶ πάντων ἐφεξῆς οὕτως ἡμῖν ἴσως ἂν ἐρεσχελίσωσιν. Cum itaque tota musicæ potestas in rythmo seu numero consistat, siquidem τὸ πᾶν παρὰ μουσικοῖς ὁ ῥυθμός, ut loquuntur veteres, ecquis miretur antiquos illos dicendi magistros sollicitos fuisse in transferendis ad suam artem modis musicis, & tradendis adeo copiose omnibus istis præceptis quæ ad numerum oratorium maxime pertinere viderentur? Longe tamen est dispar ratio numerorum in soluta oratione, ac sit in poëmatum cantu. Quamvis enim sine viribus ac prorsus elumbis ea sit habenda oratio quæ numeris careat, omninoque verum sit id quod Diomedes Grammaticus scribit, solos esse stultos qui putant liberam à vinculis pedum prosam esse debere; tamen licet ii adsint, non tam vehementer afficiunt quam musici, cum sit continua loquentium vox numerique in oratione quodammodo lateant, vixque alibi quam in initio, & periodorum percipi possint clausulis. At vero in cantu carminum, cum brevioribus membris & spatiis vox fluat divisa, & singuli pedes aliquo separentur intervallo, ita ut quilibet pes seorsim intelligi, & totam vim suam distincte possit exerere; fieri aliter nequit, quin si numerus oratorius in movendis affectibus magnam habeat potestatem, multo etiamnum majorem habeant numeri poëtici, cum non in principio tantum & fine sermonis,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

monis, ſed paſſim & ubique toto perſonent carmine. Quod ſi veteres muſici vel ſolo numero auſi ſint provocare oratores, quid non illos potuiſſe credamus, ſi cantus accederet verborum, & rythmi viribus ex æquo ſociata ſententiarum decurrerent pondera? Sed cum rythmo tantam veteres adſcripſerint potentiam, ut linguæ & ſermonis beneficia pene ſuperflua eſſe exiſtimarint, non ut opinor intempeſtivi videbimur, ſi argumentum perſequamur, eaque porro explicemus quæ ad cognoſcendam rythmi naturam atque efficaciam præcipue pertinere videbuntur.

Si itaque ipſum ſpectemus vocabulum, multifariam id accipitur, cum non tantum vocis & corporis diverſis motibus, ſed & iis quæ non moventur, uti ſtatuis & picturis, paſſim tribuatur. Minus tamen id proprie fieri exiſtimo, cum ipſa vox ſignificationem hanc videatur reſpuere. Scio quidem artificum ſtudium in eo potiſſimum verſari, ut motum & vitam, quoad fieri poſſit, ſuis affingant operibus; verum quantumvis ii ingenioſi fuerint, non tamen niſi unam aliquam actionem & unum poſſunt exprimere tempus. Summa illorum laus & gloria in eo conſiſtit, ſi non quieſcentia tantum, ſed & illa quoque quæ in motu ſint corpora, ipſoſque etiam norint exhibere affectus, quatenus illi materiæ non animatæ ſe alligari patiuntur. At vero cum rythmus non quamlibet notet proportionem, ſed eam tantum quæ ex diverſorum temporum & motuum concinna & convenienti componitur menſura, rectius utique corporibus quæ vere moventur vocabulum iſtud

tribuemus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

tribuemus. Quamvis autem omnium motuum non eadem ſit ratio, cum alii auditu, veluti in cantu vocis & fidium, alii viſu, ut in ſaltatione & quovis inceſſu, alii denique ſolo intelligantur tactu, quemadmodum in arteriarum pulſatione; quocunque tamen ſenſu percipiantur, nihil oberit quo minus omnes rythmici dicantur, ſi ad numeros ſeu pedes muſicos commode poſſint redigi. Id vero quando contingit, jam iſtiuſmodi motus quoſcunque poſſunt inducere affectus. Si vero rythmi expertes fuerint, jam quoque iidem erunt affectus expertes. Vera hæc eſſe libenter agnoſcet, ſiquis eos conſideret motus qui ex quocunque tactu vel pulſu corpori accidunt, plerunque enim jucundi ſunt ſi rythmici & ordinati fuerint, ſin contra ingrati & noxii. In vectatione & equitatione id ipſum obſervare licet, ſi enim contingat ut inæquales & interrupti fuerint iſti motus, ita ut corpus noſtrum non poſſit eoſdem numeros imitari & adſequi, offendimur & lædimur ſæpiſſime. Placent vero iidem motus ſi ejuſmodi ſint ut ſimiles & conformes motus in noſtris poſſint excitare corporibus. Gaudent conplures membrorum frictione & pectinatione capillorum, verum hæc ipſa multo magis juvant ſi balnearii & tonſores adeo in arte ſua fuerint periti, ut quoſvis etiam numeros ſuis poſſint explicare digitis. Non ſemel recordor me in ejuſmodi incidiſſe manus, qui quorumvis etiam canticorum motus ſuis imitarentur pectinibus, ita ut nonnunquam iambos vel trochæos, alias dactylos vel anapæſtos, nonnunquam amphibraches aut pæonas

nas

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

nas quam ſcitiſſime exprimerent, unde haud modica oriebatur delectatio. Quamvis vero non iiſdem plerique gaudeant numeris, aliique aliis ſint gratiores, vix tamen quenquam reperiri puto, cui non placeat motus concinnus, veluti quo ipſa quoque mulcentur bruta. Ut vero ad illos motus rythmicos tranſeamus, qui cum ſono conjuncti ſunt, operæpretium fuerit ſoni naturam & facultatem, quatenus ad præſens pertinet inſtitutum, paucis declarare.

Sonum vulgo putant eſſe tremorem aëris, idque eo potiſſimum argumento, quod ſublato aëre ſonus nullus exaudiatur. Verum quam parum ſuccedat hæc ratio, ex eo colligi poſſit, quod etiam ſub aqua percipiatur ſonus & quidem vehemens, ubi tamen nullus eſt aër. Quapropter rectius dixeris, ſonum eſſe tremorem ſeu motum ipſorum corporum quando percutiuntur. Quia vero motus ſeu tremor iſte non eſt ſenſilis, niſi aliud adſit medium quod tremorem iſtum ſuſcipiat, idcirco neceſſaria eſſe vel aëris, vel aquæ, vel ſimilis alicujus corporis mobilis præſentia, per quod ſonus propagari poſſit ut ad ſenſus adpellat, cum in vacuo ſonus ſit infinitus, ideoque inſenſilis, ut alio à nobis dicetur loco. Porro corpora quanta duriora ſunt, tanto quoque fortius ſonare, plerique niſi fallor admittunt. Sed & ambientia corpora, quæ ſimul moventur, quanto denſiora ſunt, tanto quoque fortius ſonare, & hoc quoque conſtat. Notandum tamen ſonos ejuſdem potentiæ, quando per medium denſius deferuntur, fortiorem quidem ſonum edere, quam ſi iidem deferantur per medium rarius,

minus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

minus tamen longe ſentiri, quod motrix illa virtus in denſioribus quæ ambiunt corporibus citius laſſetur, quam in raris, quæ quanto minus reſiſtunt, tanto quoque latius ſonum evagari patiuntur. Quamvis vero ſonus in omnes partes diffundatur, illud tamen præcipue obſervandum, non omnia corpora, neque omnium hominum ſenſus æqualiter ab iis affici, ſed pro ratione & differentia ſoni, variare quoque effectus qui producuntur, cum experientia docuerit, in ea duntaxat corpora, quæ ſimiles tremores aut motus poſſunt concipere, ſonum propagari, alia vero penitus immota perſiſtere. Cum paſſim in aliis, tum præcipue id videre eſt in chordis uniſonis, quarum unam ſi tetigeris, ilico ſonabit quoque altera, licet multæ aliæ diverſæ tenſionis intercedant chordæ, quas immotas perſtare omnibus eſt notiſſimum. Quod ſi etiam in inanimis corporibus iſtiuſmodi intelligamus motus, ecquis dubitet, quin idem quoque in ſenſuum contingat organis, præſertim cum & ratio, & quotidiana id ipſum evincant exempla? An non paſſim obſervare eſt, ſi quem cantantem, flentem, ſaltantem aut ridentem videamus, protinus nos ad idem agendum invitari, idque non occulta aliqua, ut vulgo exiſtimant, potentia, ſed cogente quodammodo ipſa motuum natura & ſimilitudine, quæ tanta eſt, ut vix oſcitantem videre poſſimus, quin mox id ipſum facere compellamur? Quod ſi manifeſta adeo ſit potentia eorum motuum, qui à rudi & ſimplici proveniunt natura, ut non homines ſolum & cæteras animantes, ſed & inanima quoque corpora vehementer adeo

afficiant,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

afficiant, nemo ut opinor negaverit, quin longe etiamnum major ſit virtus motuum rythmicorum, quorum tanta eſt poteſtas, ut abſque voce & ſono quidvis ſignificent, affectus vero longe excitent majores, quam ulla vox, aut ulla poſſit oratio. Tollas rythmum, fracta & ſine viribus erit oratio; rythmum vero etiam abſque ſermone plurimum valere argumento nobis eſſe poſſint veteres pantomimi, quorum pedes manuſque haud minus quam linguas oratorum diſertas fuiſſe conſtat. Quis neſcit Ciceronem cum Roſcio hiſtrione ſolitum fuiſſe decertare, uter pluribus modis eandem ſententiam variaret, prior verbis, alter vero figuratis geſtibus? Quis ſine ſtupore poſſit legere hiſtoriam, quam ſcripto de ſaltatione refert Lucianus de Tiridate, ut opinor, Ponti rege, qui cum omnia à Nerone impetrare potuiſſet, nihil niſi pantomimum aliquem poſtularit, ut nempe parceret ſumtibus neceſſariis ad alendos tot gentium & linguarum, quibus ora Pontica abundat, interpretes, cum unus omnia præſtare poſſet. Si vel ſolam ſpectemus manum, ecquis negare poſſit, eam motus habere magis conſpicuos & apertos quam ulla habeat lingua, cum nullis coërceatur clauſtris, & in omnes formas & figuras ſit explicabilis? Literas quidem illa & articulata vocabula depromere nequit, ſed profecto ſi tantundem laboris, ac fit in perdiſcendo aliquo ſermone, arti impendamus pantomimicæ, haud minus forſan clarè animi noſtri ſenſus aperire liceret, ac nunc linguæ facimus beneficio. Nec quidquam felicitati humani generis decederet, ſi pulſa tot linguarum peſte

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

& confusione unam hanc artem omnes callerent mortales, & signis, nutibus, gestibusque licitum foret quidvis explicare. Nunc vero ita comparatum est, ut animalium quæ vulgo bruta creduntur, melior longe quam nostra hac in parte videatur conditio, utpote quæ promtius, & forsan felicius, sensus & cogitationes suas sine interprete significent, quam ulli queant mortales, præsertim si peregrino utantur sermone.

Ut vero ad rythmum redeamus, quamvis multa satis de eo monuerimus, longè tamen plura dicenda supersunt, si singula persequi velimus. Illud imprimis tenendum, licet rythmus sine motu subsistere nequeat, non tamen omnem motum efficere rythmum, sed eum tantum, qui partes & tempora habeat commensurabilia. Itaque si corpus aliquod ita percutiatur, ut unum tantum & continuum concipiat motum, jam nullus fiet rythmus. Quod si diversa corpora simul tangantur, & singula continuum motum ediderint, ne tum quidem aliquis fiet rythmus. Ut ille fiat, necessaria est partium seu membrorum commensuratio. Quidquid vero unum & continuum est, id partibus caret. Adsunt quidem potentia, verum id non sufficit; nisi enim actu ipso partes producamus, ita ut sensibus facile deprehendi & distingui possint, nullus omnino potest constitui rythmus, nullaque aderit virtus quæ animum aut affectus possit movere. At vero si motus fuerint non uniformes aut continui, sed in partes seu membra proportionata distributi, ita ut singulorum motuum formæ

& figuræ manifestæ deprehendi & percipi possint, fieri aliter nequit, quin tum quoque iidem motus in animos spectantium transfundantur, & ut mens acquiescat in perceptione causæ facile adeo intellectæ, cum sine labore intelligamus ea quæ in partes distincta sunt, difficillime vero aut potius nunquam id quod continuum aut infinitum sit assequamur. Quod si ignorato motu, ignoretur quoque natura, consequens etiam fuerit, ut rerum naturam intelligamus, si probe cognoverimus rationem & modum quo quæque res moventur; id enim ubi assecuti fuerimus, jam quoque deprehendemus quænam causa istiusmodi motus efficiat, & quid quilibet motus sibi velit, quidque significet. Si ambulantem aliquem conspexerimus, ecquis dubitet, quin ex ipso incessu & corporis motu ilico etiam mores & affectus dignoscere possimus? Quantumvis imperitum sit vulgus, non tamen desunt etiam inter eos, qui vel è sola incessus forma & figura facile discernant negotiosos & cogitabundos ab otiosis & temere se moventibus, graves aut superbos à pigris aut morbo implicitis, sapientes & sobrios à deliris aut ebriosis, temperantes denique & modestos à petulantibus & luxu diffluentibus, cum ab eadem causa & animi & corporis motus gubernentur, tantaque sit utrorumque motuum convenientia, ut si naturam permittamus, vix cogitare possimus quidquam, quod non vultus, incessus, totius denique corporis situs & habitus protinus revelet.

Ut vero oculorum beneficio externos cognoscimus motus, ita internos affectus tactu li-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ceret percipere, si in explorando pulsuum ratione, tantundem ac in cæteris artibus laboris & industriæ collocaremus. Sed nescio quo fato contigerit, ut cum nulla medicinæ pars utilior sit & nobilior, atque illa quæ circa arteriarum motus versatur, adeo tamen à multis jam seculis contemta, vel potius propter difficultatem neglecta jaceat hæc scientia, ut vix aliquem reperias, qui serio argumentum pertractarit, ac si internis & primariis qualitatibus cum accidentibus corporis nihil prorsus intercedat commercii. Ex antiquis, qui supersunt, nemo materiam hanc fusius persecutus est Galeno totis quindecim libris quos de pulsuum natura & differentiis edidit. Laudanda omnino viri hujus est diligentia, quod rem obscuram & multis intricatam difficultatibus ad certiorem aliquam conatus fuerit perducere methodum; si quis tamen omnes istos libros evolvat, multa quidem præclara inveniet, sed longe plura, quæ curiositatem potius provocent quam impleant, superesse fatebitur. Hodiernos quod attinet scriptores, illi de suo ad perficiendam hanc artem nihil prorsus contulerunt, vixque aliud quidquam præstitere, quam quod Galeni sensus, sæpe etiam non intellectos, in epitomen redigere fuerint conati. Ipsam si spectes praxin, nihilo magis hac quoque parte excellunt, cum consuetudinis & existimationis tuendæ gratia potius, quam ægrotantium utilitatis causa arterias consulant, nec inviti fateantur, certiora & plura sibi videri quæ ex urinis, quam quæ ex pulsibus depromuntur indicia. Ut in aliis multis, ita quoque in arte medendi Europæos

ropæos

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ropæos longe superant Sinæ. Vocati ad infirmos nunquam quærunt, utrum caput, stomachus, humeri aut alia doleant membra, sed utroque apprehenso brachio utriusque pulsum simul & diu satis translatis in diversa loca tactibus examinant; quo facto, genus mali quo æger adfligitur statim & absque errore pronuntiant. Si qui vero sint inter eos, qui id præstare nequeant, eos veluti indoctos & nomine medicorum indignos aspernantur. Profecto si non alia lege & conditione Europæi admittantur medici, vereor ut ullus quantumvis rogatus velit adesse. Scio non deesse quamplurimos, qui graviter admodum irascantur, siquis de Sinensibus crudas istiusmodi, ut loquuntur, recitet nænias; sed sane vix aliter fieri potest, quin illis, qui se solos mirantur, & soli admirationi esse cupiunt, molestum sit admodum de aliis ea audire, quæ ipsi vel non intelligunt, vel assequi nequeunt. Ignoscant ergo mihi Æsculapii isti, si naturam latius patere existimem, quam ipsorum vel sensus vel intellectus pateat, si credulus sim in iis; quæ tot oculati testes unanimiter confirmant, quæque posse fieri non solum experientia, sed & ipsa quoque evincit ratio. Nam certe in explorandis pulsibus vix aliud præstant practici nostri, quam quod sanos ab ægris norint distinguere. Si justo crebrior aut inæqualis & perturbata fuerit pulsuum ratio, facile quidem mali aliquid subesse intelligunt, verum hic tota illorum subsistit scientia, cum explicare nequeant, ex qua causa aut a quibus partibus malum istud proveniat. Cum adeo clara & manifesta sit ratio

externorum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

externorum motuum qui conſpicui ſunt, ut quilibet fere quid illi ſibi velint facile percipiat, ecquis dubitare poſſit, quin & interni & primarii motus, à quibus alii dependent, ſuas ſimiliter habeant cauſas & ſignificationes? Nimis profecto pueriliter ſapit, qui putat tantam pulſuum varietatem, unam tantum habere cauſam efficientem, animam ſcilicet, hanc enim cum dicimus, jam cauſam reddimus multiplicem: neque inſuper quæritur utrum anima corpus movere poſſit, hoc enim omnes admittunt, ſed explicandum qua ratione anima tam diſcrepantes in arteriis pulſus efficiat, & num diverſi iſti motus ab una eademque facultate, an vero à diverſis animi affectibus procedant. Profecto ſive motus illi ſint adventitii & ab externis proveniant objectis, ſive ab interna pendeant conſtitutione, neminem ſapientem fore exiſtimo, qui non libenter agnoſcat, quod corpori id ipſum quoque animæ accidere, & viciſſim ſi animus afficiatur, affici quoque corpus, cum tanta ſit utriuſque conjunctio, ut quod uni, id ipſum quoque alteri neceſſario contingat. Quapropter ut ex motibus externis qui viſu deprehenduntur mores & affectus cujuſque colligimus, ita quoque ut internos & magis latentes cognoſcamus affectus, ampliandi omnino ſunt ſenſus & exercendus tactus eatenus, donec ſingulorum pulſuum formas & figuras diſtinguere & ad certas claſſes redigere poſſimus, id enim ſi fiat, jam quoque ſingulorum motuum poteſtatem & ſignificationem facilius adſequemur. In reducendis vero pulſuum generibus, licet non contemnenda ſit metho-

dus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

dus Galenica, longè tamen huic præferenda eſt ratio Herophili medici, qui pulſuum formas notis adſtrinxit numeris, pedibus nempe metricis, quorum vocabula & poteſtates ſi ut poëtis & muſicis, ita quoque medicis innoteſcant, dici vix poſſit quantum vitæ & humanæ ſaluti exinde accedat utilitatis. Cum enim nullum ſit motuum genus, quod muſicorum non contineant pedes, utique non erit res magni laboris, ad horum rationem deſcribere quoque motus arteriarum; neque ut opinor erit arduum ipſos quoque compoſitos & diſcordes pulſus tactu cognoſcere & diſtinguere, dummodo uſus & longa acceſſerit exercitatio: hæc enim ſi defuerit, nihil omnino efficiemus. Ut itaque voti compotes fiamus, tamdiu laborandum in exploranda pulſuum humani corporis natura, donec illi æque nobis noti & familiares evadant, ac citharœdis ſit ſua cithara; neque enim ſufficit illis id ſolum noſſe, errorem aliquem ſubeſſe, qui concentum turbet, niſi etiam nervum qui errorem inducat, ſimul intelligant.

Longius forſan quam ratio exigat ab inſtituto receſſiſſe videbimur, dum rythmi naturam ſeorſim & ab omni ſono ſeparatam perſequimur, ſed ſi qui non iniqui rerum æſtimatores ea quæ diximus perpendant, aliter illi ſentient, & copioſius etiam, niſi fallor, hæc explicanda fuiſſe exiſtimabunt. Nam certe cum tota muſicæ poteſtas in rythmo conſiſtat, & abſque eo omnis cantus ſit inconditus, illud omnino demonſtrandum erat, non in ſimplici ſono ſitam eſſe vim iſtam quæ animos & affectus moveat, ſed ſoli propemodum rythmo hanc ineſſe efficaciam,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

caciam, & verum eſſe quod jam ſuperius monuimus, rythmum eſſe τὸ πᾶν παρὰ μουσικοῖς, nec poſſe muſicum dici, qui rythmum ignoret. Quapropter nequeo ſatis mirari pleroſque eos, qui & hoc, & præterito ſeculo muſicam tradidere, cum cætera diligenter exponere conati ſint, de rythmo tamen vel nihil ſcripſiſſe, vel ita ſcripſiſſe, ut quid ſit rythmus, penitus ignoraſſe videantur. Toti in ſymphoniurgia, ſeu contrapuncto, ut loquuntur, verſantur, neglectoque eo quod in cantu præcipuum eſt, unum id duntaxat curant, ut auribus qualemcunque adferant delectationem. Longe à me abeſt ut eorum vituperem diligentiam, qui quacunque ratione muſicæ prodeſſe ſtudent; neque etiam damno, quod unicuique etiam ſono aliquam vim & poteſtatem adeſſe exiſtiment: verum iſtud omnino probare nequeo, quod omiſſo eo quod cæteris animi facultatibus & præcipue intellectui voluptatem poſſit adfere, uni tantum ſerviant auditui. Nam certe ut neque unitas numerum, neque verbum ſingulare ſenſum efficit, ita neque ſonus aliquis ſingularis ſeorſim ſpectatus ullam habet poteſtatem, aut certe ſiquam habeat, adeo ea levis & exigui eſt momenti, ut omnem prorſus ſenſum effugiat. Ecquam enim efficaciam in movendis affectibus habet aut lapidum aut lignorum colliſio, aut etiam unius chordæ percuſſio, ſi numerus aut rythmus abſit, nihilque præter inanem ſonum ſentiamus? Quod ſi plures componamus ſonos, quantumvis etiam illi harmonici & concordes fuerint, ne ſic quidem aliquid efficies. Fieri quidem poteſt ut iſtiuſmodi

ſonorum

ſonorum harmonia auribus placeat, ſed quoad delectationem tantundem fuerit, ac ſiquis complura ignota aut nihil ſignificantia proferat vocabula. Ut afficiatur animus, neceſſe eſt ut ſonus aliquid aut indicet aut ſignificet quod mente & intellectu comprehendere poſſimus. Si enim ſignificationis expers fuerit ſonus, jam quoque nullos poterit ciere affectus, cum à perceptione procedat voluptas, nec amare aut odiſſe poſſimus, id quod quale ſit ignoramus. Si itaque efficere velimus, ut non inanis ſit ſonus, allaborandum imprimis, ut cantus iis animetur motibus, qui figuras & imagines rerum, quas cantu exprimere & imitari velimus, in ſe contineant, hoc enim ſi aſſecuti fuerimus, minime erit difficile ducere affectus quocunque libuerit, & imperium exercere in animos. Ut vero iſtiuſmodi figuræ cantui inſint, reducendi omnino ſunt pedes muſici, quibus omnium motuum genera ita copioſe continentur, ut nullus omnino concipi poſſit affectus, cujus figuram non exhibeant quàm exactiſſime. Ut leves & volubiles explicentur motus, cujuſmodi ſunt ſaltus Satyrorum, aptus eſt pyrrichius & tribrachys. Graves & tardos exprimit ſpondeus eoque gravior moloſſus. Quæ mollia & tenera ſunt exhibebit trochæus & aliquando amphibrachys, cum & ipſe fractum & effeminatum habeat inceſſum. Vehemens & iracundus eſt iambus, ejuſdemque fere naturæ anapæſtus, cum bellicos & concitatos imitetur motus. Si quod hilare & jucundum ſit explicare velimus, advocandi ſunt dactyli, qui quales tripudiantium eſſe ſolent exhibebunt motus. Durum & re-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

fractarium ſiquid ſit, opportune ſuccurret antiſpaſtus. Si furorem & inſaniam inducentibus numeris opus habeamus, præſto erit non anapæſtus tantum, ſed & illo potentior pæon quartus. Denique ſi quotquot vel ſimplices vel compoſiti ſunt conſideremus pedes, omnibus peculiarem vim & efficaciam ineſſe deprehendemus, nec poſſe ullum fingi affectum, cujus imaginem motuum ſuorum multiplicitate non repræſentent. Illud imprimis notandum eſt, & in his & in cæteris pedibus, cum ſyllabæ longæ motus habeant vehementiores, non tamen perinde eſſe quem illæ locum obtineant. Illi enim numeri qui ſyllabam longam in initio habent & in brevia deſinunt tempora, motus habent imbecilles minimeque viriles; contrarium vero fit in illis pedibus, qui in longum deſinunt tempus: & quidem quanto remotior à principio eſt ſyllaba longa ſeu feriens, tanto fortiores motus, quanta vero eadem propior initio, tanto minus ponderis & gravitatis habet, unde quid de mediis temporibus ſentiendum ſit facile colligere poſſimus. Quod ſi canticum fiat, ubi nulla omnino fuerint tempora longa, è pyrrichiis videlicet aut proceleuſmaticis, erit quidem illud canticum concitatum & volubile, ſed tamen abſque virtute & efficacia. Quod ſi totum ex ſpondeis aut moloſſis, id eſt longis conſtet temporibus, magni quidem iſtud erit ponderis, ſed tamen impetu deſtituetur. Nempe quod in corporum motu videre eſt, id ipſum quoque in voce, & in ſono, & in quibuſvis ſignis, quorum ſignificationem animus noſter poteſt percipere, licet obſervare. Si

manum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

manum ad feriendum tollamus, & impetus in initio vehemens, poſtmodum vero remiſſior fuerit, vel nullus, vel certe levis erit ictus. Quod ſi à leni principio motus intendatur & paullatim increſcat impetus, tum demum gravis & violenta fieri poterit percuſſio. Ut itaque cantus ſibi conſtet, & quoſvis affectus inducere poſſimus, numerorum imprimis habenda eſt ratio, & permiſcendi invicem ſibi ſunt pedes, non tantum temporibus, ſed & rebus quas exprimere velimus convenientes. Niſi enim permiſceantur pedes, vix eſt ut elegans & omnibus numeris abſolutum poſſit confici carmen. Cum enim quod uniforme ſit id diu placere non poſſit, varianda omnino eſt compoſitionis ratio, efficiendumque ut non tantum placeant poëmata, ſed & placeant ſine ſatietate. Abſque dignitate eſt omnis cantus, qui totus è brevibus & volubilibus conſtat numeris, ſed & viciſſim nimis torpet muſa, ſi ſoli admittuntur ſpondei aut moloſſi. Quapropter alternanda ſunt tempora, & brevia longis, aſpera lenibus, & mollia duris permiſcenda ſunt, ſic tamen ut illi pedes, qui argumento maxime conveniunt, præcipuum teneant locum, & frequentius quam cæteri occurrant, & ab omnibus diſtincte intelligantur. Hæc ratio, hic modus, hæc denique antiquæ muſicæ apud Græcos & Romanos forma fuit & figura, eaque quamdiu floruit, tamdiu floruit etiam virtus illa excitandis & ſopiendis apta affectibus. Hodiernum vero ſi ſpectemus cantum, verè de illo dici poſſit, vix umbram priſcæ majeſtatis in eo ſupereſſe. Scio quam gravis & odioſa iſtæc ſit futura adſertio

apud eos præſertim qui præſentia tantum mirantur tempora, qui præterita quævis quanto minus intelligunt, tanto magis aſpernantur, qui denique hac demum noſtra ætate artes pleraſque ad ſummum dignitatis gradum provectas eſſe arbitrantur; proindeque amentiam vocant ſiquis omnibus adverſari & cum univerſo velit rixari ſeculo: ſed ſi iſtiuſmodi verborum moveamur ſtrepitu, valeat ratio, & aſſentemur, ſi ita placet, ſeculi moribus qualeſcunque demum ii fuerint, viderint tamen qui ſic ſentiunt ne illa ipſa ad quæ provocant eos fuſtrentur ſuffragia. Plures quam centum & quinquagenta effluxere anni, ex quo plerique ſuorum temporum æſtimatores adeo magnifice de ſua ſenſerint muſica, ut nihil quidquam huic addi poſſe exiſtimarent. Qui medio tempore illos ſubſecuti ſunt, animadverterunt quidem horum errorem, in eo tamen illos imitati ſunt, quod & ſibi quoque primas in hac arte detuſerint. Ut vero illi majores ſuos riſere, ita nunc ipſi noſtra hac ridentur ætate. Ecquis dubitet quin & hanc quoque ætatem idem maneat exitus? Caveant itaque illi qui ad ſeculum provocant, ne & ipſi aliquando eidem ad quod provocant ſeculo ludibrium debeant. Si aliquo veritatis ſtudio teneamur, negligenda aut certe non nimis magna facienda viventium judicia, neque enim ſatis tuto illis creditur, cum omnis ætas vel nimium blande, vel nimium odioſe de ſuis ſentiat moribus. Melius de præteritis judicamus, quando & livor abeſt, & circa ea quæ amamus, minus cæcutimus. Non ſum adeo infeſtus ſeculo, ut ea ſolum probem

quæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

quæ veteres ſanxere magiſtri, quemadmodum fere ſolent facere ii, qui ignari præſentium, nihil niſi venerandam, ut loquuntur, antiquitatem etiam non intellectam admirantur; ſed neque tantum hodiernis tribuo ingeniis, ut iis adplaudam quibus vel ſolum vetuſtatis nomen frigus adfert & faſtidium, qui rident ea quæ non didicere, qui denique quidquid non intelligunt, id ipſum quoque pædagogicum vocant. Si ſepoſito omni affectu antiquam muſicam cum hodierna committamus, & utriuſque conſideremus effectus, alterutrum neceſſe eſt, ut aut ſuam hodierni Muſici agnoſcant inſcitiam, aut falſa eſſe evincant ea, quæ de viribus & poteſtate cantus prodidere plerique veteres. Alterum ſibi, iſtud vero aliis difficulter perſuadebunt. Sed cum ea ſit humani ingenii conditio, ut in iis quæ ad exiſtimationem noſtram pertinent ſæpius & libentius noſmetipſos, quam alios decipiamus, præſtat omnino alienum ſequi arbitrium, aut ſi nimius noſtri amor id ipſum prohibet, rem ipſam oportet perpendere.

Hodiernum itaque ſi examinemus cantum, ſimilem eum prorſus eſſe deprehendemus, ac fuerit ille priſcorum hominum cantus antequam lex carminis eſſet reperta, abſque rythmo & prorſus inconditum. Si cauſam inquiramus, utique ea non alia eſt, quam quod ea quæ vernaculis linguis hac tempeſtate ſcribuntur carmina, iſtiuſmodi ſint, ut commode cantari nequeant, cum quoad cantum nihil omnino à proſa diſcrepent oratione. Quamvis enim hodierni verſus certum & determinatum ſyllaba-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

rum contineant numerum, parum tamen hoc juvat, cum nulla ſyllabarum obſervetur quantitas, niſi in fine tantum, alibi vero adeo confuſa ſit lex metrica, ut nulla niſi confuſa exinde conſtrui poſſint cantica. Quod ſiquis nihilominus iſtiuſmodi verſus in pedes ſeu numeros muſicos velit diſſolvere, ita ut ſinguli pedes diſtincte exaudiantur, & cantus fiat diaſtematicus, non tantum nihil proficiet, ſed & pejus etiamnum fiet canticum, ſi dactyli anapæſtis, iambi trochæis, aliique pedes contrariæ inter ſe naturæ nullo ordine & judicio juxta ſe poſiti intelligantur. Præſtat enim ut inconditus & continuus ſit cantus, quam ut idem ſit diaſtematicus & rythmicus, ſi intervallorum & rythmi non ſibi conſtet ratio. Laudo itaque quod cum in hodierno cantu metrum & rythmus non obſerventur, integra cola ſeu integri verſus, non membratim, ſed continuo abſolvantur ſpiritu. Verum falluntur qui exiſtimant, hoc ſi fiat, cantum præter aurium delectationem aliud quidpiam continere. Nam quod etiam hodie reperiantur aliqua cantica quæ effectus moveant, id non vi cantus, ſed verborum potius contingit efficacia; quod apud Italos præſertim obſervare eſt, qui complura ſua cantica ita diſtinxere, ut in iis aliquando canant, aliquando loquantur. Atqui jam ſuperius monuimus, majorem in cantu poteſtatem habere rythmum quam verba, de quo nemo, ut opinor, dubitabit, qui noverit etiam quotquot ſunt rhetores & oratores paſſim id ipſum inculcare. Clarius etiamnum in mimis & ſcenicis idem hoc obſer-

vare

vare licet. Sed cum de rythmi viribus multa ſatis dixerimus, plura non addemus. Illud ſatis mirari nequeo noſtra hac ætate, cultiſſima ſane ſi cum ſuperioribus conferatur ſeculis, unam præcipue eſſe muſicam quæ ad priſtinum non adſurgat ſplendorem, neglectaque temporum & numerorum ratione, quæ eſt velut anima cantus, barbara etiamnum ὁμοιοτέλευτα & ſimiliter deſinentia placere vocabula, quibus veluti appenſis totidem tintinnabulis, quanto magis reſonant verſus, tanto elegantiores habentur. Non defuere tamen complures tum alibi, tum præſertim apud Italos & Gallos, qui barbaro & incondito hoc metri genere offenſi, veterem conati fuerint reducere muſam. Arioſtus aliquot conſcripſit comœdias, quæ totæ ex ſenariis conſtant iambis, abſque reſonante clauſula. Multis illæ placuere, & certè dignæ ſunt quæ ab omnibus laudentur, non tantum propter ingenium, ſed etiam quod eo carminis genere expreſſæ ſunt, quod cantum admittat. Aliquid tamen eſt quod in illis deſiderem, nempe quod totæ uno eodemque metro decurrant, quale nihil apud antiquos invenias, utpote qui iambicos trochaicis & anapæſticis ſoliti fuere alternare, cum varietas delectet, & ſimilitudo mater ſit ſatietatis. Huc accedit, quod cum in omni dramatum genere diverſorum affectuum & perſonarum habenda ſit ratio, abſurdum omnino ſit ſi omnia eodem metro peragantur, à quo tamen vitio hodierni comici & tragici non ſibi cavent, utpote quorum integra dramata eodem carminis genere abſolvantur. Multo etiamnum magis id ipſum offen-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

offenderet, ſi in hodierna poëſi quantitas metrica obſervaretur. Nam cum ſinguli affectus peculiares habeant motus, an non ipſi naturæ vis infertur ſi contrarios affectus iiſdem exprimamus motibus, ita ut aliud pes, aliud vero metrum loquatur, quamadmodum habet Lucianus. Quod ſi hac quoque in parte veteris comœdiæ leges diligentius obſervaſſet Arioſtus, multo proculdubio plures habuiſſet admiratores, præſertim ſi dramata iſtæc modulis animata muſicis, & à peritis artis ſcenicæ recitata fuiſſent cantoribus. Hoc nempe hodiernæ deeſt muſicæ, ut poëtæ ſcribant ea quæ cani poſſint, fieri enim non poteſt quin inconditus & inconcinnus ſit cantus, ſi metrum ubique & in ſingulis verſuum membris non ſibi conſtet. Poëtarum itaque eſt non cantorum huic errori occurrere. Cantores enim de arte velle conſulere muſica, id perinde fuerit ac ſiquis cæmentarium aut fabrum aliquem lignarium de architectura, aut hiſtrionem de arte velit convenire poëtica. Quamdiu muſicæ periti fuere poëtæ, & ſcripſere carmina quæ fidibus & cantui aptari potuere, tam diu iidem fuere poëtæ & muſici. Vile & abjectum tum fuit cantorum munus, utpote qui poëtis inſervirent, quorumque totum ſtudium circa id ſolum verſaretur, ut poëticos numeros ſeu gravibus ſeu acutis ſeu tremulis modulis, prout carminis ratio exigeret, adſtringerent. Nunc vero poſtquam muſicorum nomen ad cantores tranſiit, cantui ſervit poëſis. Vix ullum hoc tempore canticum reperias quod bene ſe habeat, niſi verba alicui cantilenæ veteri ſæpe & obſoletæ alligentur.

tur. Nam ſi, prout ratio exigit, cantus verbis aptetur, nihil numerorum, nihil quod affectus moveat efficies: pleraque erunt diſtorta & inæqualia, cum hodierna poëmata numeros non admittant. Cantores tamen & contrapunctiſtæ hodierni, qui auribus ſane non carent, licet ſæpe cerebro non multum valeant, omnia ſibi licere exiſtimant in corripiendis aut producendis ad libitum ſyllabis, in torquendis aut lacerandis vocabulis, ne incommodus ſit cantus. Quis non rideat, ſiquis eos audiat illa vocabula, quæ cantui apta exiſtimant, decies & ſæpe pluries intempeſtive prorſus repetere, & ſic eorundem verborum perpetuam quandam facere quaſi palinodiam, ac ſi ſeculum verborum laboraret inopia? Non ſic veteres, qui nullas repetitiones admittebant niſi in verſibus intercalaribus, quorumque aures ad metri leges ita fuere adſuefactæ, ut ſi vel in una ab actoribus peccaretur ſyllaba, tota ilico reclamarent theatra. Nunc vero licet in omnibus peccetur ſyllabis, nemo offenditur, nemo contradicit, ignoratio quippe melioris cantus, & longa vitiorum conſuetudo, non tantum impunitatem, ſed & laudem rebus quantumvis turpibus largitur. Iſti tamen ſunt qui priſcam Græcorum rident muſicam, & fabulas ſibi narrari dictitant, ſi quis ea quæ ipſi ignorant, veteres ſciviſſe adfirmet. Quin & eo dementiæ nonnulli progreſſi ſunt, ut in ſcriptis quoque adſerere non dubitarint, concentum plurium vocum prorſus veteribus ignotum fuiſſe, eoſque ſymphoniam vocaſſe plurium quidem, ſed alternatim canentium concentum. An non miſeri & inſipientes ſimus,

ſi inficetis iſtiuſmodi ſomniis aliquid reponamus? Adeone quis Græce & Latine ignarus ſit, ut non videat vel ipſa harmoniæ, ſymphoniæ & concentus vocabula contrarium teſtari? Quiſquamne ita ineptiat, ut putet choros cantantium & greges ſymphoniacorum ſub chorodidaſcalo, non ſimul, ſed στοιχηδὸν ſeu alternis cantaſſe? Mentitus ſcilicet eſt Seneca, cujus verba ſunt Epiſt. LXXXIV. *Non vides, quam multorum vocibus chorus conſtet? unus tamen ex omnibus ſonus redditur. Aliqua illic acuta eſt, aliqua gravis, aliqua media. Accedunt viris feminæ, interponuntur tibiæ. Singulorum ibi latent voces, omnium apparent.* Quid attinet Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, & infinitos alios adducere, qui unanimi conſenſu docent, harmoniam ſeu concentum fieri, cum plures voces acumine & gravitate ſoni diſcrepantes æquabiliter miſcentur? An non ſatis clare ſcriptor de Mundo; Μουσικὴ ὀξεῖς ἅμα καὶ βαρεῖς, μακρούς τε καὶ βραχεῖς φθόγγους μίξασα ἐν διαφόροις φωναῖς μίαν ἀπετέλεσεν ἁρμονίαν. Sed & Aelianus Platonicus commentario in Timæum; Συμφωνία δέ ἐστι δυοῖν ἢ πλειόνων φθόγγων ὀξύτητι καὶ βαρύτητι διαφερόντων κατὰ τὸ αὐτὸ πτῶσις καὶ κρᾶσις. Taceo multiformes tibiarum concentus, & hydraulici organi harmonicam plenitudinem; pudet in re adeo manifeſta diutius hærere, & nimis profecto ſimus ridiculi, ſi exiſtimemus veteres diligenter quidem & exacte ſonos concordes & harmonicos annotaſſe, eoſdem vero neſciſſe cantui aptare, quod tamen norunt gentes quantumvis barbaræ.

Fruſtra

Fruſtra vero ſimplicitatem antiquæ muſicæ eo adſtruere conantur argumento, quod veteres magis monodiis delectati fuerint, quam plurium vocum concentibus. Non enim exinde id factum, quod iſtiuſmodi concentus non fuerint harmonici, ſed quia ſi plures ſimul cantent, verba obruantur, & ſenſus cantici nihilo magis percipiatur, quam ſi plures ſimul loquantur. Ecquis etiam hoc noſtro ſeculo, dummodo aures teretes & delicatas habeat, non libentius audiat vocem ſolitariam & ſingula verba ad ſonum teſtudinis aut citharæ diſtincte proferentem, quam integrum chorum muſicorum, ubi nihil præter confuſum murmur, & vix tria intelligas verba? Quam diſpar hac in parte antiquorum fuerit ratio, vel ex eo colligas, quod etiam in choris tragicis, licet plura pulſarentur inſtrumenta, pluresque ſimul cantarent, vitioſum tamen haberetur, ſi vel unica infuſcaretur vocula. Hoc vero ut adſequerentur, utrunque neceſſe erat, ut nempe ſingulæ voces & ſyllabæ ſimul & eodem exacte ſonarent tempore, & iſtud præterea ut unius vox cæteris fortius & clarius verba intonaret, reliquis ſummiſſa voce concentum ad unam referentibus perſonam, ut veteres docent grammatici. Aliquando tamen cæteris ſilentibus, unus ſolus totum chori canticum ad tibicinis modos abſolvebat, & tum monodia fiebat; Heſychius; Μονῳδία λέγεται ὅτε εἷς μόνος τὴν ᾠδὴν, οὐχ' ὁμοῦ ὁ χόρος ᾄδει. Satis hinc adparet quare Ariſtoteles in problematis ſuaviores eſſe dixerit monodias, quæ ad unam lyram aut tibiam, quam quæ ad plures ſeu lyras ſeu tibias canantur, cum

quod vocum idem quoque efficiat multitudo instrumentorum, utpote quibus ſcopus & ſenſus carminis pene deleatur. Noſtræ vero ætatis ſi ſpectemus cantum, neceſſe utique eſt ut agnoſcamus, non in ſymphoniis tantum, ſed & in ſolitariis canticis adeo obſcurari verba & ſenſum carminum, ut vix quidquam intelligamus. Neque id cantorum tantum contingit vitio, ſed & culpa illorum, qui cantico modulos aptant muſicos, utpote in quibus tempora ſyllabarum rariſſime ſibi conſtent. Niſi enim in cantu verborum iſtud præcipue obſervetur, ut ſingulæ dictiones & ſyllabæ ea contineant tempora & iſtiuſmodi ſervent menſuram, quam & natura & loquendi conſuetudo iis præſcripſit, non tantum intellectu difficilis, ſed & pene inobſervabilis erit carminis ſenſus, quem ſi tollas, nihil quod affectus moveat hodiernæ ſupererit muſicæ, veluti quæ rythmo penitus deſtituatur. Quod ſi huic defectui addas quoque obſcuram verborum enuntiationem, nihil præter inanem ſupererit ſonum. At vero utrique vitio commode ſuccurri poteſt, ſi vetera & legitima reducantur tempora. Hodiernus enim plauſus quadratus, quem vulgo tactum appellant, quod pedum loco manuum utantur officio, nimis tardus & piger eſt, quam ut ad illum ſyllabarum exigi debeat quantitas. Si verſum Heroicum illo metiri velis, & naturalem ſyllabarum obſervare menſuram, tribus plauſibus totum abſolves hexametrum, qui tamen ſex plauſibus erat abſolvendus. Quod ſi ſex plauſus, quales vulgo uſurpantur, illi adſignes, adeo in longum protrahentur ſyllabæ, ut ipſæ

quoque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

quoque breves fiant longæ, quod imprimis absurdum. Sed vero si plausus exigas ad mensuram veterum, & unicuique plausui quadrato, non octo, quemadmodum hodie fit, sed quatuor tribuas tempora, optime omnia se habebunt. Cum enim syllabarum ea sit differentia, ut brevibus singula, longis vero duo respondeant tempora, ecqua melior & naturæ convenientior fieri possit distributio, quam si singulis manuum pedumve pulsibus singuli conveniant pedes, ita ut arsis vel elatio, una longa aut duabus brevibus, totidemque thesis seu positio absolvatur syllabis? Ecquis negare audeat, si in cantu hanc teneamus rationem, quin æque distincte, & forsan distinctius, singulæ percipiantur syllabæ, quam in communi quo utimur fiat sermone? At vero si hodiernæ musicæ expendamus mensuram, adeo perturbatam temporum in ea inveniemus rationem, ut nullam prorsus cum vocabulis habeant proportionem. Quis sine stomacho audiat syllabas aliquando adeo productas, ut tertio aut quarto, nonnunquam octavo demum terminentur plausu? Quod si contingat ut numeri currant concitatissimi, tum demum intempestivæ flexiones & in immensum explicata fiunt plasmata, manente eadem syllaba, ita ut ubi vox & numeri velocissime feruntur, istic syllabæ procedant pigerrime. Tantum abest ut adeo deformatus sermo ab auditoribus possit percipi, ut ne ipsi quidem cantores quid dicant intelligant. Taceo absurdam temporum mixturam, qua tam prolixæ tam brevibus sine aliquo intervallo copulantur

notæ,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

notæ, quarum tam remota à se invicem sit proportio, ut sensibus percipi nequeat. Si quem inæquali adeo gradu incedentem, & modo suspensis ad gravitatem passibus, modo vero currentem videamus, an non pro insano aut furioso ab omnibus habeatur?

Præter hunc defectum quo hodiernus cantus laborat, ille quoque accedit, quod in tota hujus temporis musica, nullus alius frequentetur plausus, præter mensuram quadratam quæ dispondæum si sola spectes tempora, & præterea sesquialteram aut triplam vulgo dictam, quæ non iambum aut trochæum, ut quidam putant, sed potius tribrachyn repræsentat. Cum enim iambus & trochæus duabus constent syllabis, non possunt tribus aut pluribus notis exprimi, cum ut perfectus sit cantus, notæ debeant respondere syllabarum & motuum numeris; secus enim si fiat, torquentur & patiuntur syllabæ. Nusquam itaque hodie apparet mensura quæ dupla exhibeat tempora, quibus iambi & trochæi ad amussim conveniant. Sed neque veram triplam aut subtriplam, nec epitetarten aut epipempten, aut superbipartientem invenias mensuram, adeoque, ut paucis amplectar, temporum varietate destituitur hujus ætatis musica, ut vere de ea dici possit, unius propemodum eam esse coloris & saporis. Quis non miretur, quod cum adeo frequenter tripla vulgo dicta adhibeatur mensura, & fateantur gratiores & magis vividos hac ratione effici numeros, nemo tamen sit qui aliorum quoque motuum mensuras & potentias explorare fuerit dignatus? Nempe quod semper id

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ipſum quoque nunc obſtat, οἴησις προκοπῆς ἐγκοπὴ, pudet illos quidquam addiſcere, quia videri volunt nihil neſcire. Tantum abeſt ut magna illa motuum copia provenientium à pedibus, qui in arſi & theſi inæqualia habent tempora, per hodiernas poſſit explicari menſuras, ut ne ſimplices quidem pedes, iambos videlicet & trochæos, amphimacros, amphibraches, & utrunque bacchium hujus ætatis exprimere valeat muſica. Nam quod nonnulli exiſtimant plauſum quadratum quoſcunque pedes ſeu motus admittere, id ſiquis experiatur aliter omnino ſe habere deprehendet. Ne illam ipſam quidem menſuram, quam triplam vulgo vocant, ad menſuræ quadratæ numeros poſſis revocare, quin illico omnem ejus perdas efficaciam. Multo magis id ipſum in aliis continget pedibus, quorum tempora in arſi & theſi longius etiamnum à ſe invicem recedunt.

Huc accedit quod cum unaquæque menſura quadrata duos minimum comprehendat iambos aut trochæos, ratio plauſuum penitus evertatur, ſi iidem pedes in elatione & poſitione contrario procedant ordine. Quapropter ſi muſicæ conſulere velimus, unicuique pedi ſigillatim ſuus attribuendus eſt plauſus, & quot pedes, totidem quoque diſcrepantes inducendi ſunt motus ſeu plauſuum menſuræ & figuræ, aliter enim ſi fiat, nunquam neque in cantu neque in ſaltatione arſeos & theſios ſibi conſtabit ratio, quam ſi tollas, ſimul quoque tolles præcipuam movendorum affectuum ſcientiam. Sed & hoc quoque obſervandum, cum omnis motus à quiete incipiat, non recte men-

ſuras

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ſuras temporum inverſo ordine vulgo diſtribui, cum naturalis ratio exigat, ut elatio præcedat poſitionem. Et certe, nequid de muſica dicam, quis riſum contineat, viſo eo, quod in hodiernis choreis & tripudiis ſæpe obſervare eſt, ut cum ſaltantium corpora ſurſum ferantur, manus plaudentium deorſum vergant? An non hoc eſt quod Græci dicunt χειρὶ σολοικίζειν, id eſt manu ſolœciſmum facere? Sed longum eſſet alios quoque perſequi errores qui ab hujus temporis muſicis committuntur. Videamus ea quæ illi viciſſim in antiqua carpunt muſica.

Inſtant itaque ſeculi hujus patroni, & veterum in componendis harmoniis inſcitiam & ſimplicitatem eo præcipue oſtendere conantur argumento, quod ditoni & trihemitonii conſoni ſeu ſemiditoni, nec non ſenariæ utriuſque, majoris nempe & minoris, nullam omnino habuerint notitiam. At vero magnopere falluntur qui ſic exiſtimant. Illud quidem verum, veterum nonnullos perfectis conſonantiis non annumeraſſe hæc intervalla; agnoviſſe tamen & locum convenientem illis adſignaſſe clare ſatis colligi poteſt ex Porphyrii & aliorum de muſica ſcriptis. In cantu vero adhibitas fuiſſe, veluti ſecundarias quaſdam conſonantias ſatis docet Plutarchus ἐν τῷ περὶ τοῦ Ει ἐν Δέλφοις cum dicit τριημιτόνιον καὶ δίτονον μελῳδητόν. Senariæ vero utræque, ſeu hexachordo majori & minori, locum quoque dedere Ariſtoxenus, Dionyſius, Eratoſthenes, & alii, ut teſtatur Aelianus in hypomnematis ad Timæum Platonis, cum dicit illos octo conſtituiſſe conſonantias, annu-

merato videlicet unisono, veluti prima & maxima omnium consonantia.

Frustra quoque pertendunt ignotum fuisse veteribus usum dissonantiarum, quibus veluti præcipuo ornamento adeo redundat hodierna musica. Audiamus Ciceronem III de Oratore; *Quanto molliores sunt & delicatiores in cantu flexiones & falsæ voculæ, quam certæ & severæ? quibus tamen non modo austeri, sed si sæpius fiant, multitudo ipsa reclamat.* Satis hinc liquet quanto cum judicio dissonantias admiserint antiqui magistri, quod secus fit ab hujus ætatis cantoribus, qui nimia falsarum vocularum crebritate, fastidium potius quam voluptatem audientibus afferunt.

Sed & cum operosam & difficilem antiquorum reprehendunt rationem, quod singulis tonis hemitoniis & minoribus intervallis singulas attribuerint notas, tum quoque frustra sunt. Est quidem verum, cantum veterem pluribus quam hodiernum constare elementis; sed & hoc quoque verum; ubi quis semel elementa istæc perdidicerit, quod non est admodum laboriosum, multo expeditiorem & breviorem fieri antiquam quam hodiernam methodum. Adeo late exspatiantur lineæ & notæ, quibus hujus seculi describitur musica, ut paucissimos, vel potius neminem invenias, qui scitè possit canere & simul citharam aut testudinem pulsare, si ignotum aliquod occurrat canticum. At vero longe aliter veteres, utpote qui modulos musicos voce exprimendos superne, organicos vero infra, singulis appingerent versibus, ita ut opus non esset oculos late transferre, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

uno obtutu & organicæ & vocales conſpicerentur notulæ, ita ut utræque vix plus exigerent ſpatii, quam ipſemet cui appingebantur exigeret verſus. Satis hoc manifeſtum ex antiquis quæ etiamnum ſuperſunt monumentis, docentque id ipſum Alypius, Boëthius & Aelius Feſtus Apthonius in fragmento de carminis appellatione, monentes σημεῖα ſeu ſigna, cantum vocis & fidium declarantia, ita diſpoſita fuiſſe, ut τὸ μὲν ἄνω τῆς λέξεως, τὸ δὲ κάτω τῆς κρούσεως potetestatem declararet.

Fruſtra quoque & illud objicitur, quod in veterum notis muſicis non contineantur tempora quibus ſingulæ exprimi debeant, quemadmodum in hodiernis fit notis, quarum menſuræ primo ſtatim conſpectu dignoſcuntur. Atqui ex ipſo carmine & pronuntiatione ſyllabarum palam fiebat quantum temporis unaquæque nota vel ſyllaba exigeret. Non muſicis tantum, ſed & cuivis è plebe notiſſimum erat quænam ſyllabæ longæ, quæ item breves eſſent. Stultum ſane fuiſſet idem bis agere, & id monere quod nemo ignorabat. Quam vero inepta hodierna ſit ratio, in fingenda tanta notarum multitudine, *maximis videlicet*, *longis*, *ſemilongis*, *fuſis*, *ſemifuſis*, &c. poſtea exponemus.

Nihilo melius argumentum unde oſtendere conantur hodiernum cantum eſſe inſtructiorem antiquo, quod nempe cum veterum ſyſtema quindecim tantum continuerit ſonos, Guido demum Aretinus ſenariam majorem addiderit, ita ut viginti nunc habeamus ſonos. Iſti ſane Guidoni multa perperam tribuuntur. In con-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

cinnanda sua scala secutus est harparum & organorum sui temporis exemplum, illa enim viginti ut plurimum instructa tibiis habuisse systemata, docet scriptor aliquot seculis Guidone vetustior. *Porro numerositas nervorum vel fistularum, ut puta viginti unius aut plurium, non idcirco apponitur, quod soni ultra quindecim aut forte sedecim protendantur, sed ipsi iidem qui sunt inferius repetuntur, & hoc pro varietate modorum.*

Quod vero attinet syllabas *ut*, *re*, *mi*, &c. quas Guido Aretinus reperit, quibusque septem discrimina vocum vulgo designantur, licet triviale & nullius pretii sit commentum, attamen siquis hoc alicujus existimet esse momenti, sciat Ægyptios similiter factitasse, & septem vocalibus sonos hos expressisse, ut testatur Dionysius in scripto περὶ ἑρμηνείας, quod Demetrio Phalereo perperam tribuitur. In sacris vero & Deorum hymnis, ubi nempe propter multorum concentum voces singulorum latebant, commode id ipsum fieri poterat, cum inutilis sit verborum prolatio, si à nemine intelligantur. Et notandum quod ratio hæc convenientior videatur quam hodierna, utpote in qua vocales, quæ sonum edant patentiorem, sonis respondeant gravioribus. Sed & barbaris etiam ante Guidonem istum similibus voculis sonos distinxisse constat ex illo ipso scriptore, qui multo, ut diximus, Guidone est antiquior.

Illud vero nimis frivolum, quod tamen qui ex suo captu alios metiuntur subinde repetunt, ut nempe exhibeatur specimen aliquod antiqui cantus, unde de veteris musicæ præstantia

possint convinci. Sed vero efficiant ipsi ut veteres cantores & musici reviviscant, & habebunt quod postulant. Sin vero id præstare nequeant, æquum est ut acquiescant eorum testimoniis, qui cantui veterum interfuere. Producantur idonei testes qui de mirandis hodiernæ musicæ effectibus similia ac veteres prodidere, credam libens. An ut amico seculo nostræque blandiamur ignorantiæ, adeo simus iniqui, ut nullis nisi nobis ipsis, aut qui nobis faveant, id est pessimis & fallacissimis, contenti esse velimus testibus, adeo ut quidquid ipsi nescimus, id alios quoque semper nescivisse existimemus?

Jam vero quod simplicitatem antiquæ musicæ ex chordarum paucitate quæ in veteribus comparent lyris, satis deprehendi posse existimant, in eo quoque insigniter falluntur. Negari quidem non potest in antiquis marmoribus & monumentis Apollinem sæpe conspici cum cithara quatuor quinque aut septem cum plurimum nervorum: sed ecquis ignoret aut dubitet id ipsum factum esse ad declarandam musicæ in initio simplicitatem, cum ad Apollinem artis hujus referantur principia? Multum sane errat, omninoque hospes est in antiquis scriptoribus, siquis nesciat quantum postmodum accreverit fidium numerus. Non decem tantum & quatuordecim, sed & octodecim &. novemdecim, imo & viginti octo progressu temporum adhibitas fuisse testantur quamplurimi. Nempe ut habet Quintilianus, *cum in cithara quinque constituerunt sonos, plurima deinde varietate complent spatia illa nervorum,*

atque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

atque iis, quos interposuerunt, inserunt alios; ut pauci illi transitus multos gradus habeant. Itaque Simmicium à Simmico & Epigonium ab Epigono Ambraciota repertum, prius triginta quinque, alterum quadraginta fuit nervorum, ut testatur Julius Pollux. Si itaque ex fidium multitudine artis hujus præstantia æstimanda sit, etiam hac in parte recentioribus præferendi sunt antiqui. Attamen plurimum falluntur, qui ex numerosa fidium copia musicæ excellentiam metiuntur: Scio quidem plebeis & inficetis auribus eam præcipue placere musicam, ubi quamplurimæ simul carpuntur chordæ, & ea demum præstantissima judicari cantica, ubi quam latissime exspatiantur toni; sed præterquam quod hæc sonorum multiplicitas eruditas aures offendat potius quam mulceat, etiam hoc accedit, quod virtus illa, quæ movendis apta est affectibus, hac ratione penitus elidatur. Qui bene de musica judicant, illis impensius placent citharœdi, qui paucas chordas aptè & concinne norunt pulsare, quique lævam eodem semper continent spatio, quam qui digitis totas percurrunt chordas, & ad ipsum ponticulum seu equuleum, ut vulgo loquuntur, pene exspatiantur. Nec tamen reprehendo eos qui aliter sentiunt aut faciunt, hoc solum contendo, quod voci, ipsum quoque hoc instrumentis quibusvis musicis contingere, ut quanto latius evagentur toni, tanto ineptiores sint ciendis affectibus, & eum demum cantum esse παθητικώτατον, qui quam proxime ad sermonem accedit humanum, figurasque & formas aliquid significantes in se continet, cum, ut recte monet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

monet Cicero, ſit veluti cantus quidam noſter ſermo, qui ſi modulis & numeris adſtringatur & ornetur convenientibus, muſicam exhibebit omnium ſuaviſſimam.

Licet vero in omni cantu vitioſa ſit nimia iſta ſonorum multitudo & copia, in argumento tamen comico & iis carminibus quibus mores & vita humana depinguntur, multo magis obſervandum, ut illi quam arctiſſimo coërceantur ſpatio, & ut cantus quam proxime ad communem accedat ſermonem. Diligentiſſimi hac in parte veteres fuere comœdi, qui imprimis cavebant, ne nimis eſſent ſonora conſuetudinis verba, parumque à ſolutis differrent. Hanc quoque legem religioſe etiamnum ſervant Sinenſes, haud paulo meliores quam qui noſtro orbe naſcuntur mimi, licet qui illas oras adierunt indocti, in Sinarum id reprehendant comœdiis, quod cantum contineant propemodum μονότονον, qui unius ejuſdemque ſoni intentione abſolvatur. Ipſi nempe illum demum cantum cenſent eſſe præſtantiſſimum, cujus ſonus tam late quam ipſamet pateat vox, ita ut ad diſdiapaſon, aut etiam ultra ſi fieri poſſit, excurrat. Sed vero dici vix poteſt quantis cachinnis excepti fuere, poſtquam Europææ ſuæ muſicæ ſpecimen exhibuere. Nec Sinis modo, ſed & Japonenſibus quoque hanc diſplicere, teſtes ſunt non ſine magno ſuo dolore quotquot Jeſuitæ terras illas frequentarunt. Et ſane minime hoc mirum videri debet, ſiquis hodiernæ ſimplicitatem ſpectet muſicæ; iſtam quippe quanto penitius cognoveris, tanto magis intelliges, nihil omnino aliud in receſſu habere præter inanem ſonum,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ſonum, illum quidem aliquo modo harmonicum, ſed tamen omnis rationis & ſignificationis expertem. Talem vero cantum velle obtrudere Sinis, populorum quotquot ſol aſpicit longe cultiſſimo, non temeritatis ſolum, ſed & extremæ fuerit dementiæ. In omnibus quæ vel ad parandas & fovendas voluptates, vel ad fallenda vitæ faciunt tædia, nulla unquam gens fuit eruditior Sinis. Sinæ attamen ſunt qui conqueruntur de veteri ſua deperdita muſica; quæ quidem querela ſi juſta ſit, utique fateamur neceſſe eſt, divinam olim eorum fuiſſe muſicam, veluti cujus adeo præſtantes ſuperſunt reliquiæ, ut univerſo Europæo cantui & ſeculo quantumvis ſuperbo facile poſſint imponere ſilentium. Qui eorum ſpectavere pantomimos, & cum ſtupore iis interfuere comœdiis, quæ à mutis perſonatis ſolo corporis geſtu & ſolis peraguntur nutibus, ſatis teſtari poſſint, quantam illi rythmicorum motuum (anima videlicet muſicæ) aſſecuti ſint peritiam. Cum itaque monotoniam, ſeu potius non admodum variatam in cantu dramatum Sinicorum carpunt rationem, non Sinarum, ſed ſuam produnt inſcitiam. Etenim quod in communi ſermone, id ipſum quoque in cantu obſervandum eſt comico, ut neque nimium deſcendat, neque nimium acuatur vox, ſed ſit media inter utramque, quæ non loquendi modi, ſed & cantandi maxime naturalis eſt ratio. In communi ſermone vox ut plurimum intra diapente ſubſiſtit, ita ut neque plus tribus tonis cum dimidio intendatur, neque majori intervallo infra communem loquendi modum deprimatur, quemad-


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

quemadmodum & Dionyſio Halicarnaſſenſi annotatum. In diverbiis vero & dramatico cantu, licet aliquanto latius licitum ſit exſpatiari, non temere tamen tranſiliendum eſt hoc intervallum, ſed demum ſi ira, indignatione, gaudio aut dolore ſubito vox excitanda, aut eadem languore, triſtitia, faſtu & oſtentatione fuerit ſubmittenda; cum omnes gentes & ipſa quoque bruta in eo natura magiſtra conveniant, ut affectus lenti & tardi voce gravi, celeres vero motus voce ſeu ſono peragantur acuto. Si quando igitur tales occurrunt affectus, non erit intempeſtivum in aliquanto latiora vocem diffundere ſpatia, dummodo naturalis ſermonis obſervetur menſura, & cantus iiſdem quibus ille contineatur terminis. In dithyrambicis & choris tragicis alia eſt ratio, quippe cum majorem exigant ornatum, opus non eſt ut tam arctis limitibus cantus contineatur. Tenendus interim & hic modus, cavendumque in primis, ne etiam in his nimium ſubſultet ſonorum varietas. Ut enim in diverbiis deleri non debet communis ſermonis character & imago, ita in choris obſervandum præcipue, ne canticorum excedatur ratio. Nec tamen propterea metuendum, ut cantus fiat μονοειδὴς, cum etiam quantumvis pauci ſoni, multas poſſint continere formas & figuras, unde demum canticorum emergit præſtantia.

Nec tamen audiendi ſunt, qui exiſtimant lyras & citharas, quæ quatuor aut quinque ſolum inſtructæ eſſent fidibus, adeo ſimpliciter fuiſſe fabricatas, ut quot nervos, totidem & non plures admitterent ſonos. Error hic non aliunde profluxit,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

profluxit, quam quod ſtatuarii ſingula lyræ membra non ſemper expreſſerint, cum in multis marmoribus non compareant chordotona, echea & tabellæ iſtæ ligneæ ſeu magades, quarum beneficio ſonorum ab una ad alteram chordam tanquam per gradus fieret tranſitus; partes quippe eæ erant exemtiles. In quibuſdam tamen antiquis monumentis ſatis manifeſte, licet diſpari ratione, adumbrantur. In horto Londinenſi Sereniſſimi Britanniarum Regis duo viſuntur marmorei Apollines, uterque ut fieri ſolet, cum lyra aut cithara. Unius lyra, quam prima exhibet figura, nihil continet ſingulare, vides quippe illic ſolum magadem A qui gradus continet, & βατῆρα ſeu chordotonum B, à quo nervi procedunt.



In alterius vero lyra, quam ſecunda figura exhibet, manifeſte etiam gradus apparent, & quidem ampliori intervallo, ſed quod notandum loco βατῆρος hic habes geminum ἠχεῖον, C C utrumque cavum & ſubjectum gradibus D, uti etiam

moris erat in theatrorum echeis. Erant vero echea iſtæc ærea, & augendi ſoni gratia affigebantur magadi. Mentionem horum facit Heſychius, cum Ἠχεῖον interpretatur μυστικὸν τὸ πρὸς τῇ μαγάδι χάλκωμα. Facile hinc colligas quinam olim dicti ſint intus canere. Sed & hoc obſervandum, in nullis antiquorum lyris, vel citharis, vel quibuſcunque aliis organis quæ fidibus intendantur, ſonorum gradus ita ut nunc fit obicibus diſtinctos fuiſſe, magno certe hodiernæ muſicæ damno, ut poſtmodum dicetur.

Quod vero lyrarum moles in antiquis marmoribus valde exilis quibuſdam videatur, brevioreſque continere nervos quam ut manu commode tractari potuerint, id ipſis artificibus & ſtatuariis imputandum, quos ad perennitatem artis ſuæ ſolitos fuiſſe enſes, haſtas, & quæcunque alia longe exſtantia, minori quidem attamen ſolidiori forma exprimere, nemo eſt qui ignoret. Obſervandum tamen breviores nervos nihil officere præſtantiæ muſicæ, quin potius plurimum conferre, ſi plectro aut digitis percurrantur argutis.


Sed nimis profecto ſimus longi, ſi inſectantium veterem & hodiernam laudantium muſicam ſingula expendamus argumenta. Unum tamen hoc adfirmare non vereor, vel ſolas antiquorum tibias univerſæ hujus ſeculi inſtrumentariæ ſupellectili præferendas eſſe quam longiſſime. Si ſolas exceperis organicas fiſtulas quæ in templis vulgo uſurpantur, vix ullas invenias alias quæ tibiarum dignæ ſint vocabulo. Et tamen illa ipſa quæ uſque adeo hodie placent organa, nequaquam cum antiquis

comparari

comparari possunt hydraulicis. Hodierni quippe organarii, si more antiquo loqui velimus, vere non sunt organarii, sed ascaulæ seu utricularii, quomodo ab antiquis dicebantur illi, qui utribus, follibus aut manticis ventum tibiis adspirabant, quemadmodum hodie fit in templis. Ridiculi enim sunt qui hæc vocabula de iis accipiunt mendicis, quales vulgo cum cornamusa, ut loquuntur, per plateas discurrunt, & non distinctos, sed continuos & inamænos prorsus cubito excutiunt sonos. Ascaulæ seu utricularii veterum, nihil omnino discrepant ab hodiernis organariis. Sed vero antiquis organarii dicebantur soli hydraulæ, sic dicti ab organo vase æreo aræ instar rotundæ fabrefacto, è quo ventus beneficio aquæ incumbentis expressus magno impetu & tamen æqualiter ad tibias adfluebat. Cum vero horum artificium ab antiquis præcipue commendetur, non defuere complures eruditi & ingeniosi viri, qui usum hujus instrumenti revocare & seculo reddere fuerint conati; sed quod nemo eorum assecutus sit mentem Heronis & multo minus Vitruvii, qui utrique eorum fabricam nobis reliquere, mirum videri non debet, si votum hoc non omnino ex animo ipsis successerit. Præcipue in eo lapsi sunt, quod existimarint spiritum transeuntem per aquas easdem agitare, & exinde crispum & tremulum factum tibias subingredi, & suaviores auribus affundere sonos. Aliam instituere rationem qui hydraulicum organum construxere in viridario Estensi Tiburtino, quod describit Bapt. Porta in Spiritalibus. Danielis Barbari hydraulicum merito ab omnibus exploditur. Qui hac nostra ætate Vitruviani or-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

gani constructionem scriptis suis musicis inseruere, illi dum veterum inventa insectantur, documento esse possint, quam sit solemne hominibus damnare & contemnere quidquid ipsi non intelligunt. Sd operæpretium fuerit organi hujus constructionem appingere, quæ & Heronis & Vitruvii verbis ex æquo propemodum conveniat.



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Fiat basis lignea ABCDEF & in ea constituatur ara rotunda GHIK ex ære fabricata & torno fideliter expolita. Fiat quoque clibanus seu hemisphærium æreum LMNO quam exactissime huic adaptatum. Sit vero in medio perforatus hic clibanus, & insertum habeat tubum & ipsum æreum & utrinque apertum MP. Habeat quoque clibanus alterum foramen, cui insertus sit siphon NIQ cujus nares pertingunt ad modiolum æreum QRST. Siphon hic habeat assarium seu platysmation ad N. Modiolo vero QRST aptetur embolus V cui affixa sit regula firmiter admodum compacta VX, ita ut à vecte XYZ embolus V commode moveri possit. Modiolus autem QRST habeat in superiori superficie aliud foramen 3, 4, cum platysmatio per quod aër ingredi possit. Iste vero ingredietur cum vectis XYZ in Z attollitur. Quando vero idem deprimitur, platysmation hoc clauditur, & ingressus aër per siphonem QIN, aperto platysmatio ad N, exprimitur in clibanum LMNO, unde per tubum MP influit in arcam Aa Cc Ee, cujus afflatu tibiæ animantur. Clibano vero LMNO, quamvis magni sit ponderis, veluti æneo, quo tamen fortius subjectum premat aërem & fidelius ne effluat custodiat, superinfunditur aqua, puta ad ff, vel altius si fortiores velimus efficere sonos. Fiet itaque ex continua vectis agitatione, ut attollatur tandem clibanus LMNO, immoto interim perstante tubo MP, & siphone NIQ, & notandum simulac vehementia ingressi spiritus attollitur clibanus, tum quoque æqualem fieri compressionem aëris qui in arca continetur.

Licet

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Licet enim effluente per tibias aëre clibanus descendat, idemque rursus agitatione vectis attollatur, quamdiu tamen clibanus suspensus & à fundo separatus manet, tandiu propter æqualitatem prementis ponderis, æqualis etiam manet inclusi aëris constipatio, ipsaque clibani & superinfusæ aquæ inconstans & mobilis altitudo efficit æqualitatem flatus, quo tibiæ aspirantur. Verum nequis existimet hanc descriptionem parum convenire cum sensu Vitruvii, verba ejus ad fidem veterum exemplarium expressa exhibebimus, additis duntaxat ad faciliorem intellectum iis, quæ ad declarandum schema pertinent literis, lingua videlicet mathematicorum.

Sic itaque ille; *De materia*, id est ligno, *compacta basi* ABCDEF, *ara* GHIK *in ea ex ære fabricata collocatur. Supra basim eriguntur regulæ dextra ac sinistra scalari forma compactæ, quibus includuntur ærei modioli* QRST, *fundis ambulatilibus*, id est embolis V, *ex torno subtiliter subactis, habentibus fixos in medio ferreos ancones* VX *&* *verticulis* Y *cum vectibus* XYZ *conjunctos, pellibusque lanatis involutos*, ut nempe sine strepitu moveantur. *Item in summa planitia* QR *foramina circiter digitorum ternum* 3, 4, *quibus foraminibus proxime in verticulis* 4, 7, *collocati ærei delphini, pendentia habentes catenis cymbalia ex ære* 8 *in foramina modiolorum chalata. Intra aram* GHIK, *quo loco aqua sustinetur, inest pnigeus, uti infundibulum inversum* LMNO, *quem subter taxilli alti circiter digitorum ternum suppositi librant spatium imum, ima inter labra pnigeos & aræ fundum. Supra*

autem cerviculum ejus MP, *coagmentata arcula* Aa Cc Ee *ſuſtinet caput machinæ quæ Græcè* κανὼν μουσικὸς. *dicitur*. Interjectis dein iis quæ pertinent ad ſtructuram. annulorum, epitoniorum, plinthidum ſeu gloſſocomorum, itu redituque ſuo aperientium vel obturantium organi ſpiracula, aliiſque ſatis ſua ſponte manifeſtis, hæc poſtmodum ſubjungit. *E modiolis autem* QRST, *fiſtulæ*, RGN *&* QIN *ſunt continenter conjunctæ pnigeos cervici pertingenteſque ad nares, quæ ſunt in arula in quibus aſſes ſunt* (platyſmatia nempe ad N) *ex torno ſubacti & ibi collocati, qui, cum recipit arula animam, obturantes foramina* ad N, *ſpiritum non patientur rurſus redire. Ita cum vectes* XZ *extolluntur, ancones* VX *deducunt fundos modiolorum*, id eſt embolos V, *ad imum. Delphinique qui ſunt in verticulis* 4. 7. *incluſi, chalantes in os* 3. 4. *cymbalia* 8, *reimplent ſpatia modiolorum. Atque ancones* VX *extollentes fundos*, ſive embolos V, *intra modiolos* QRST *vehementi pulſus crebritate; & obturantes foramina* 3. 4. *cymbaliis* 8 *ſuperiora, aëra qui eſt ibi clauſus preſſionibus coactum in fiſtulas* QIN & RGN *cogit, per quas in pnigea* LMNO *concurrit, & per ejus cervices* MP, *in arcam* Aa Cc Ee.

Satis ex his videre eſt quam exacte Heron & Vitruvius conveniant, utpote qui in nullo diſcrepent, niſi quod Vitruvius clibano taxillos, & ſummæ modioli ſuperficiei delphinum ponderis formam addiderit, quorum tamen poſtremum tuto abeſſe poſſit, cum ad ornatum potius quam neceſſitatem faciat. Taxilli vero licet nonnihil utilitatis habeant in eo, ut recta

&

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

& æquabiliter moveatur clibanus, attamen nihil operi deerit, etiamſi & illi abſint, dummodo recte ſe habeat clibanus ſeu hæmiſphærium.

Regulas quas dicit dextra ac ſiniſtri ſcalari forma compactas fuiſſe, quibus includantur ærei modioli, hic non expreſſimus, ne una figura aliam obſcuraret, ſed ſatis quilibet poſſit concipere intelligi tigna ſeu ferramenta à B, D, & F oblique & gradatim verſus P ſurgentia, ut nempe iis contineantur & ipſa ara, & præcipue duo ærei modioli, qui quod multum patiantur, quando vectes deprimuntur, ideo firmiſſimis & proculdubio ferreis erant conſtringendi vinculis.

Præcipuus vero hujus organi labor in eo conſiſtit, ut aræ & modiolo æreo ſecundum interiorem ſuperficiem ita exacte reſpondeant clibanus, fiſtulæ & embolus, ne vel minimum aëris poſſit effluere. Hoc quidem difficile, ſed tamen crebro olim factitatum fuiſſe, & præſertim ab Aegyptiis artificibus, ſatis docent cum alia veterum inſtrumenta, tum præcipue ſiphones illi quibus incendia reſtinguebantur; nec non & ἀεροτόνος baliſta, quæ ſolo aëris impulſu aliquot centenum pondo lapides quam longiſſime emittebat, cujus accuratam deſcriptionem, cum multis aliis antiquorum machinis bellicis huic ſeculo ignotis alibi, ſi deus vitam & valetudinem dederit, exhibebimus.

Porro ſiquis iſtiuſmodi hydraulicum conſtrui ſibi curaverit, vix dubitandum quin longe id præſtantius ſit futurum, quam quæ utrium aut follium beneficio vulgo animantur organa, quæ non inæqualem tantum, ſed & imbecillem

edunt

edunt flatum, cum illa quæ beneficio aquæ inſpirantur, non æquabilem tantum, ſed & adeo robuſtum & ſonorum efficere poſſint ſonum, ut longius quam vel tuba vel buccina, & ad aliquot etiam paſſuum exaudiri poſſint millia, præſertim ſi ad ſenſum Vitruvii plures fiant modioli.

Riſu vero dignum eſt id quod nonnulli prodidere, veterum organa ſex vel octo tantum inſtructa fuiſſe tibiis. Mentitus ſcilicet eſt Tertullianus lib. de anima; *Specta portentoſam Archimedis* (Cteſibii rectius dixiſſet) *munificentiam: organum Hydraulicum dico, tot membra, tot partes, tot compagines, tot itinera vocum, tot compendia ſonorum, tot commercia modorum, tot acies tibiarum, & una moles erunt omnia. Spiritus ille qui de tormento aquæ anhelat, per partes adminiſtratur, ſubſtantia ſolidus, opera diviſus.* Sed & Claudianus;

Vel qui magna levi detrudens murmura tactu
Innumeras voces ſegetis modulatur ahenæ;
Intonat erranti digito, penituſque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat undas.

Quamdiu Romanum ſtetit imperium tamdiu hydraulicorum conſtitit ratio. Qui in Italia ſucceſſere barbari, quamvis & ipſi ſimilia conſtruere fuerint conati, fruſtra tamen laboravere; ut mirum non ſit anonymum aliquem inficeti iſti ſeculi ſcriptorem auſum fuiſſe adfirmare, organa illa quæ follibus impelluntur, parum tantum quid concedere hydraulicorum præſtantiæ. Ceſſaſſe eorum uſum tempore Caſſiodori, ſatis adparet ex iis quæ ſcribit ad Pſalmum centeſimum & quinquageſimum, ubi nul-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

la facta mentione hydraulicorum, laudat ea qualia passim vulgo construuntur. *Organum itaque est quasi turris diversis fistulis fabricata, quibus flatu follium vox copiosissima destinatur, & ut eam modulatio decora componat, linguis quibusdam ligneis ab interiore parte construitur, quas disciplinabiliter magistrorum digiti reprimentes grandisonam efficiunt & suavissimam cantilenam.* Qui hos folles cum organis antiquorum, & locum hunc Cassiodori cum verbis Tertulliani contulerit, utique dubitare non poterit, quin, quanto melior Cassiodoro scriptor fuerit Tertullianus, tanto etiam præstantiora coriaceis quibusvis organis fuisse veterum hydraulica. Apud Græcos horum rationem diutius conservatam fuisse cum aliunde tum ex eo quoque colligi potest, quod in Annalibus Francicis cujusdam Anonymi anno DCCCXXVI dicatur Georgius, seu potius Gregorius quidam Venetus Ludovico Pio Aquisgrani organum construxisse hydraulicum, idque ad morem Græcorum, ut Aimoinus & alii ejusdem seculi scriptores indicant, quamvis illi conatus hujus Gregorii laudasse contenti, nihil omnino de operis successu addiderint. Ut ut sit, non possum satis mirari, quod & Keplerus, & plerique fere alii, qui hac nostra ætate musicam tradidere, non dubitant affirmare, organarios antiquos nihilo meliores fuisse hodiernis utriculariis, iis nempe mendicabulis, qui cum cornamusa, ut vulgo loquuntur, stipis colligendæ gratia in triviis passim vagantur. Profecto nostri seculi organarii, ut paulo ante monuimus, veri sunt utricularii seu ascaulæ.

Quod

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Quod vero tibiarum quæ ore inflantur attinet cantum, vere de eo dici posse existimo nihilo plus antiquis pastoribus sapere hodiernos tibicines, & forsan ne tantundêm quidem. Ad mendicos relegata est ars præstantissima, tibiaque, quæ olim omnibus fidibus, omnibusque aliis instrumentis musicis longe præferebatur, adeo obmutuit, ut si solos exceperis Sinenses, qui hac in parte excellunt, neminem hoc seculo invenias, qui vel modice audientes possit afficere, meritoque contemtui sit Europæis gentibus vel ipsum tibiæ vocabulum. Suaviorem lyra habitam olim fuisse tibiam non Aristoteles tantum in problematis, sed & ipsum Marsyæ satis evincit supplicium. Quantum vero studii & diligentiæ in excolendo hoc instrumento posuerint veteres, satis ex iis patet quæ & Theophrastus & Plinius de Orchomenii lacus arundinibus prodidere. Non sufficiebat, ut certis tantum annorum periodis cum exundaret lacus cæderentur, nisi etiam sole, pluvia, ac gelu maceratæ, ac diuturna deinceps exercitatione emollitæ vitium omne deponerent, ac voto artificum satisfacerent. Hæc siquis legat & perpendat, minus mirabitur tibias septem aliquando talentis venisse, ut testatur Lucianus.

Jam vero quod tibiarum spectat varietatem & multitudinem, tanta ea fuit, ut quamvis plerique illi scriptores qui de tibiis sigillatim complura composüere volumina temporum perierint injuria, vel ex solis iis quæ supersunt veterum fragmentis, ingens aliquis compilari possit liber. Verum cum non desint, qui ex parte id jam præstiterint, nec defuturi sint qui dili-

 gentius

gentius & copiosius etiamnum hanc suscipiant provinciam, ea solum sectabimur, quæ ad institutum magis faciant, & unde colligi possit quanto peritiores & meliores in construendis & inflandis tibiis veteres fuere magistri, quam hujus existiment seculi patroni, qui se suaque tantum mirantur tempora. Tota ars hoc seculo in simplici fistula & in solis consistit monaulis; qui duas simul inflare norit tibias & concentum reddere multiformem, hactenus inveni neminem. Frequentissimum tamen hoc olim fuisse non scriptores tantum, sed & nummi & marmora testantur. Passim in iis comparent Phrygica mancipia, Midæ videlicet Marsyæque, duabus simul tibiis concinentes, nota musicorum id est auribus insignes asininis, os præterea cervicesque religati capistro, quo nempe labiorum scissura & malarum distorsio caveatur, quæ ratio si in usu esset hodiernis tubicinibus, & pertinacior ipsis flatus adesset, & minus frequenter buccarum dolore affligerentur. Qui phrygiis utebantur tibiis, tenuibus quidem, sed tamen longis admodum, istiusmodi plerunque capistris olim præcingebantur, fortiorem quippe eæ requirebant spiritum quam ut à quovis impleri possent; unde ridebantur qui eas absque capistro inflarent, ut satis declarat Sophoclis locus apud Longinum, φυσῶν μακροῖς μὲν αὐλίσκοισι φορβειᾶς ἄτερ.

Inde facile possit intelligi dictum illud Othonis τί γάρ μοι καὶ μακροῖς αὐλοῖς. Vocabantur etiam ἀναδείσματα, ut notant Grammatici veteres, unde explicandum epigramma de Archia Hyblæo præcone apud Pollucem, qui in dedicatione statuæ

ſtatuæ ſuæ Apollini, gratias agit quod abſque noxa incolumis evaſerit ſine capiſtro tubam fortiſſime inflans.

Ὑϐλαίῳ κήρυκι τῷ δ᾽ Ἀρχίᾳ Εὐκλέος υἱῷ
Δέξαι ἄγαλμ᾽ εὖφρων Φοῖβ᾽ ἐπ᾽ ἀπημοσύνῃ.
Ὃς τρὶς ἐκάρυξεν τὸν Ὀλυμπίας αὐτὸς ἀγῶνα,
Οὐθ᾽ ὑποσαλπίττων, οὔτ᾽ ἀναδείσματ᾽ ἔχων.

Quod autem nonnulli putant iſtiuſmodi geminas tibias ab uno eodemque homine inflatas nullum præclarum concentum edere potuiſſe, propterea quod ſingulæ tibiæ tria vel quatuor tantummodo habuerint foramina, in eo quoque plurimum falluntur, foraminum enim paucitas nihil officit quo minus totidem in iis formentur ſoni, ac fiat in ea tibia quæ utraque tractatur manu. Hoc primum conſtat, pro diverſa inſpirationis menſura unumquodque foramen tres poſſe reddere ſonos. Quod enim voci humanæ & præſertim infantibus & iratis contingit, ut quando ſpiritus velocius currit, ilico vox nullis factis gradibus ad diapaſon aſcendat, id ipſum quoque evenit tibiis, quæ cum molliter inſpirantur gravem edunt ſonum, ſi fortius, id eſt celerius, diapaſon acutius ſonant, ſi celerrime fluat ſpiritus, etiam ad diſdiapaſon aſcendit ſonus. Ipſum hoc obſervare eſt in ſibilo arborum, in altis & vento expoſitis caminis, in diſtrictis per aërem virgultis, in flagellorum comploſione, & cæteris corporibus, quæ alia parte adſtricta, alia libera, quamlibet ab impulſu aëris poſſunt concipere tenſionem. Nam ſi contingat ut utrinque adſtricta ſint iſtiuſmodi corpora, veluti chordæ in inſtrumentis, jam unicum tantum admittunt tonum. Ve-

rum

rum cum musicis rationibus non semper conveniat hoc pacto sonos variare, aliam sunt commenti methodum, & concinnam & compendiosam magis: beneficio quippe παρατρυπημάτων, quibus βόμβυκας seu minuta cornua insererent, id assecuti sunt, ut singula foramina quatuor aut quinque efficerent tonos, βόμβυκας nempe sursum vel deorsum deprimendo, ita ut singula foramina multiplicitate sonorum singulis æquivalerent fidibus. Nihil hic fingo: licet plures possim adducere testes, sufficiat solus Proclus in commentariis ad Platonis Alcibiadem. Sic itaque ille, ἕκαστον τρύπημα τῶν αὐλῶν τρεῖς φθόγγους ὥς φασι τοὐλάχιστον ἀφίησι· εἰ δὲ καὶ τὰ παρατρυπήματα ἀνοιχθείη, πλείους. Hypholmiorum vero & Bombycum, præter Pollucem & alios Grammaticos, mentionem etiam faciunt Ptolemæus & Porphyrius in musicis, & Aristoteles περὶ ἀκουστῶν. Præ cæteris insignis est locus apud Arcadium Grammaticum, quem integrum adscribam. Ἑκάστῳ πνεύματι οὐκ ἀτέχνως οὐδ' ἀμούσως τὰ σημεῖα ἐπέθετο, καθάπερ οἱ τοῖς αὐλοῖς τὰ τρήματα δεξάμενοι ἐπιφράττειν αὐτὰ καὶ ὑπανοίγειν ὁπότε βούλοιντο κέρασι τισὶν ἢ βόμβυξιν ἢ ὑφολμίοις ἐπετεχνάσαντο, ἄνω τε καὶ κάτω, καὶ ἔνδον τε καὶ ἔξω στρέφοντες ταῦτα. οὑτωσὶ κἀκεῖνος ὥσπερ κέρατα τὰ σημεῖα ἐποιήσατο τῷ πνεύματι ἕν τι σχῆμα ἑκατέρῳ σημηνάμενος. Τοῦτο δὲ τὸ ἓν ὥσπερ αὐλῷ ἐοικὸς, ὅπερ ἔνδον καὶ ἔξω στρέφων ἐπιφράττειν τε καὶ ὑπανοίγειν τὸ πνεῦμα ἐδίδαξεν. ἐπιφράττειν μὲν γὰρ αὐτὸ καὶ ἐπέχειν ὁπότε ψιλοῦν ἐπιτάττοι· ἀφίησι δὲ καὶ ὑπανοίγει ἡνίκα ἐπιπνέοντες ἡμεῖς δασέως λέγειν ἀναγκαζόμεθα.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Sed ut potiora tangam, ubinam hodie artificem invenias, qui quot affectuum genera, totidem quoque discrepantes tibiarum possit construere formas & figuras, quod tamen veteres præstitisse, notius est quam ut explicari mereatur. Quin potius ausim adfirmare, neminem hoc tempore reperiri, qui intelligit rationem, qua tibiæ istiusmodi motus inducentes parari debeant. Non in materia solum, unde confici debeant fistulæ, sed & in proportione ad quam exigendæ sint earum formæ peccant gravissime. Vulgo putant si duæ fuerint tibiæ ejusdem longitudinis, sed disparis crassitiei, illam quæ crassior sit graviorem edere sonum, ac illa quæ minus fuerit crassa. Atqui longe aliter id sese habere docebit experientia, cum quanto crassiores sint tibiæ, tanto etiam acutiorem, quanto vero tenuiores, tanto graviorem edant sonum, manente nempe eadem longitudine. Quamvis ubi natura loquitur, opus non sit autoritate, siquis tamen testes postulet adduci possit Aristoteles, Plutarchus, aliique; sed perspicuitatis gratia sufficiat Æliani locus qui exstat apud Porphyrium in hypomnematis ad Harmonica Ptolemæi; Ἐὰν λάβῃ τις δύο αὐλοὺς, τοῖς μὲν μήκεσιν ἴσους τῇ δὲ εὐρύτησιν τῶν κοιλιῶν διαφέροντας, καθάπερ ἔχουσιν οἱ Φρύγιοι πρὸς τοὺς Ἑλληνικοὺς, εὑρήσει παραπλησίως τὸ εὐρυκοίλιον ὀξύτερον προϊέμενον φθόγγον τοῦ στενοκοιλίου. Θεωροῦμεν γέ τοι τοὺς Φρυγίους στενοὺς ταῖς κοιλίαις ὄντας, καὶ πολλῷ βαρυτέρους ἤχους προβάλλοντας τῶν Ἑλληνικῶν. Causam vero quam ibidem reddit Ælianus quare hoc contingat, nempe quod vox in tenuiore foramine diffici-

difficiliorem habeat tranſitum, ac propterea tardius moveatur, illam minime probo. Pori & foramina perpetua fere ſemper fuere & effugia & ſimul ſcopuli, eorum qui vel olim vel noſtra hac ætate de natura & viribus ſoni aliquid ſcripſere. Ut itaque cavillatio omnis tollatur, fiat experimentum in ſolido, & loco fiſtulæ accipiatur corpus aliquod ſonorum non perforatum, velut duæ virgæ ferreæ aut alius metalli, ejuſdem quidem longitudinis, ſed non ejuſdem craſſitiei; id ſi fiat, & virgæ illæ ſuſpenſæ percutiantur, dico illam quæ tenuior eſt gravius, alteram vero tanto acutius ſonare, quanto fuerit craſſior. Quin & ſatis manifeſta eſt cauſa. Nempe quanto tenuior eſt virga, tanto flexilior. Quæ vero facilius flectuntur, illa tardius tremunt. Quanto autem tardior tremor, tanto quoque gravior ſonus.

Hinc facile ſolvitur quæſtio, quæ multos hactenus exercuit eruditos, de tibiis dextris & ſiniſtris, utræ ſcilicet gravius ſonarint. Ex iis quæ diximus patet, tibias tenuiores gravius ſonare quam craſſiores. Tibias vero dextras tenuiores fuiſſe ex Plinio colligitur, qui libro XVI. cap. XXXVI. teſtatur eam partem arundinis, quæ terræ & radici vicinior eſt *lævæ tibiæ convenire, quæ cacumen dextræ*. Sic quoque Theophraſtus lib. IV. Hiſt. plant. τὴν μὲν πρὸς τῇ ῥίζῃ ἀριστερὰν εἶναι, τὴν δὲ πρὸς τοὺς βλαστοὺς, δεξιάν. Poſito itaque eo ut æqualiter prolixæ eſſent dextræ & ſiniſtræ tibiæ, clarum eſt dextras gravius ſonaſſe, quam lævas.

Jam vero quandoquidem & nervorum & tibiarum eadem eſſe debeat ratio, merito aliquis objiciat

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

objiciat chordas craſſiores gravius ſonare quam tenues. Licet nemo ſit qui de eo dubitet, omnino tamen & hic evellendus eſt error, idque eo magis quod videam præclarum illud Florentiæ lumen in dialogis de motu, dum tritam calcat viam, in eodem hæſiſſe errore. Ubi enim recenſet tres modos, quibus chordarum ſonus acutior reddatur, hunc poſtremo addit, fieri id ſiquando chordarum craſſities minuatur, ita ut ſiquis, eadem manente tenſione, efficere velit, ut aliqua chorda diapaſon acutius ſonet, neceſſe eſſe, ut eatenus fiat ſubtilior, donec quarta ſolum craſſitiei pars remaneat. Carteſius in epiſtolis ad Merſennum, ubi multa reprehendit in hoc Galilæi ſcripto, licet nihil bene, hæc tamen probat, notat enim nihil hic tradere Galilæum, quod non ſibi & Merſenno ſit notiſſimum. Sed profecto vir ille quam parum perſpicax fuerat in muſicis, judicio eſſe poſſit ejus de hoc argumento libellus, in quo præter vulgaria, nihil omnino bonæ frugis invenias. Ut autem facili negotio cognoſcas, quam id aliter ſeſe habeat, ſumantur duæ chordæ pares longitudine, ſed diſpares craſſitie, & eo uſque intendantur, donec fiant uniſonæ. Iterum dein intendantur, ſeu appenſo pondere, ſeu beneficio verticillorum, ſed ea lege, ut ad æquale ſpatium & æqualem longitudinem utraque excurrat chorda, & ut extenſio fiat ſimilis, cum notum ſit craſſiores chordas propter rigorem difficilius intendi: quo facto, ſi utramque carpſeris chordam, ſenties craſſiorem longe acutiorem edere ſonum. Satis hinc manifeſtum, quod tibiis, idem quoque nervis eve-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

nire, & si par fuerit longitudo, crassiores nervos semper minus crassis acutius sonare, si nempe æqualis fuerit tensio.

Hinc adparet verum non esse præceptum istud universale eo quo ipsi volunt sensu, nervos quo magis intenduntur eo acutiorem edere sonum, eadem quippe manente tensione, acutius etiam possunt sonare, si nempe spissiores fiant. Quod enim de bacillis seu virgis ferreis paulo ante dixi, ut quanto crassiores & rigidiores fiant, tanto difficilius tremant, proindeque acutius sonent; ipsum quoque hoc de nervis intelligendum: adeoque si velimus ut nervus crassior eundem quem tenuior efficiat sonum, eatenus remittendus & relaxandus est, donec æque flexilis fiat ac tenuior nervus, paribusque ac ille temporibus tremores suos absolvat.

Pulcherrimæ sane & utilissimæ sunt quæ hinc derivantur consequentiæ, sed cum nonnullæ prolixiore egeant demonstratione, ne delicatis fastidio simus, alteri eas loco reservamus. Hoc solum moneo, cujuscunque magnitudinis fuerint corpora sonora, posse ea quemlibet efficere sonum, & ut duo vel chordæ, vel tibiæ, aut etiam virgæ ferreæ, aut æreæ fiant unisonæ, sufficere ut homologia seu partium subsistat ratio. Nihil interest utrum unum corpus aliud millies sua mole excedat, dummodo quæ longitudinis ad longitudinem eadem quoque crassitiei ad crassitiem fuerit ratio. Commode hujus rei indicium sumi potest è massis ferreis, quæ sive magnæ sive minutæ fuerint, unum eundemque percussæ exhibent tonum, si

homologa

homologa habuerint latera. Non videtur hujus rei veritas latuiſſe Ptolemæum, cujus verba ex primo harmonicorum non pigebit adſcribere. Sic itaque ille; ὁ μείζων εἰ τύχοι καὶ παχύτερος χαλκὸς τοῦ ἐλάττονος καὶ λεπτοτέρου, ποιεῖ ψόφον ὀξύτερον. *Si fuerit majus & craſſius æs, utique minori & tenuiori ſonum edit acutiorem.* Sed quod ſequitur ὅταν ὁ κατὰ τὸ μέγεθος λόγος, μείζων ᾖ τοῦ κατὰ τὸ πάχος, non videtur ſatis huic loco convenire, ut recte monet Porphyrius, &, niſi fallor, vel erravit Ptolemæus, vel pro μείζων reponendum μείων. Si enim duæ æris fuerint maſſæ, alia longa & craſſa altera brevis & gracilis, ſic tamen ut utriuſque craſſities ſint proportionales, tonum omnino eundem exhibebunt. Sed ſi contingat ut minor ſit longitudinis quam craſſitiei diſcrepantia, jam majus ferrum acutius ſonabit.

Hinc ſatis adparet ad efficiendum ſonum vel gravem vel acutum nihil quidquam conferre corporum molem, ſed totum hoc pendere ex facilitate aut difficultate quam habeant corpora ad concipiendum tremorem. Si ſphæræ ſolidæ ex ære tremorem poſſent concipere, æqualis eſſet tonus omnium ſphærarum cujuſcunque demum magnitudinis illæ forent. Sed vero ſphæræ invicem colliſæ, edunt quidem ſonum, ſonus attamen ille neque acutus eſt neque gravis. Grave enim & acutum non dicitur ubi nullus eſt tremor. Cum enim quælibet corpora quanto longiora ſunt, tanto quoque ſi percutiantur diutius tremant, quanto vero breviora, tanto citius tremores ſuos abſolvant, ma-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

nifestum est tremores illos insensiles fieri, vel potius desinere, si corpora ad ejusmodi figuram redigantur, ut longitudinem & latitudinem vel nusquam vel ubique habeant, qualia sunt sphærica & quadrata, hoc est inflexilia & fere muta. Ut sonus fiat musicus, sive gravis sive acutus, oportet ut flexile sit corpus. Id si tale sit & difficulter moveatur, acutus; si facile, jam gravis edetur sonus. Unde patet nullum esse tam minutum corpusculum, quod non graviorem efficere possit sonum, quam quævis vasta moles.

In nervis & minutis admodum fistulis licet difficilius sit experimentum, propterea quod illæ, si exiles & fragiles fiant, tactu aut flatu hominum ægre tremorem sensilem concipiant, naturam tamen multa posse quæ ars nequit præstare humana, indicio sint cum alia insecta, tum præcipue crabrones, qui sive beneficio fistulæ, sive chordæ tenuissimæ, quam vehementia spiritus sui tremere faciant, sive potius motu & tremore alarum, parvo utique instrumento, sonum edunt gravissimum.

Discrepant tamen majora seu æra seu alia corpora sonora à minoribus in eo, quod licet in acumine seu gravitate soni utraque utrisque conveniant, majora tamen corpora sonum densiorem, minora vero rariorem semper emittant. Diligentissimi fuere veteres artifices in hujus rei observatione, & sane absque ea irritus est omnis labor qui in temperandis insumitur cum aliis musicis organis tum præcipue tibiis, cum ad inducendos & regendos affectus vocis sonique condensatio & rarefactio multum conferat

momenti.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

momenti. Si quid flebile & luctuoſum exprimere velimus, non ſufficit ut ſonus ſit gravis & remiſſus, niſi etiam ſit rarus & quodammodo hians & fractus. Commode huic affectui ciendo inſerviebat tibia Phrygia, longa quidem, ſed pertenuis, & lugubrem idcirco edens vocem, præſertim ſi cornu appoſitum haberet. Hymnis vero & Deorum ſacris adhibebatur tibia Doria, & ipſa quoque gravem emittens ſonum, ſed denſum & plenum. Amatoriis & jucundis affectibus explicandis Ionicæ inſerviebant tibiæ, acutam ſimul & raram emittentes vocem. Iracundiam & bellicos motus inducentes, & ipſæ quoque acutam, ſed tamen denſum & plenum formabant ſonum. Denique quot affectibus & motibus humani inquietantur animi, totidem quoque & plura ad expugnandas etiam quaſvis quantumvis refractarias mentes adhibita olim fuere organa.

Noſtra hac tempeſtate adeo iſtæc naturæ contemnuntur præcepta, ut cum omnis hodierna inſtrumentaria non ſufficiat ſupellectilis ad inſignem aliquem conciendum affectum, non tamen deſint qui uno eodemque inſtrumento omnia ſe præſtare poſſe exiſtiment; & quod magis mirere, etiam illi qui in arte hac cæteris præſtare creduntur, rident ſiquis veteris muſicæ, inſtrumentorumque quæ olim in uſu fuere vel obiter meminerit, adeo nempe unicuique ſeculo ſui placent mores. Sed profecto nullum certius inſcitiæ eſt argumentum, quam de iis quæ neſcias, iniquè judicare. Si originem inſtrumentorum, quæ hodie in uſu ſunt inquiramus, pleraque ea à barbaris ad nos perveniſſe

invenie-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

inveniemus. De organo quod follibus animatur satis diximus, Harpam vulgarem & ipsam quoque barbarorum esse inventum, satis testatur ille Fortunatiani versiculus,

Romanusque lyra plaudat tibi, barbarus harpa.

Nec dubito quin illud ipsum sit instrumentum, quo Bardi Gallorum olim uterentur sacerdotes, veluti quod lyræ non absimile fuisse scribat Diodorus Siculus. Testudinem, Barbiton sive Tiorbam, Panduram, citharam, cæteraque instrumenta vulgaria, liceat vocabula habeant antiqua, barbara tamen esse potius quam Græca vel Romana, vel illud satis declarat, quod pleraque cervicem distinctam habeant tactibus ut vocant, nervis nempe transversis, quibus seu gradibus ab uno tono ad alium fiat ascensus, quale nihil in antiquis comparet instrumentis. Commoda & expedita admodum barbaris visa est hæc ratio, brevi enim illud adsequebantur, ut tonos à tonis quam exactissime distinguerent. Sed vero quod in plerisque artibus & scientiis videre est, ut qui earum sectantur compendia, in ipso statim initio magni profectus exhibeant umbram, postmodum vero nihil damnosius compendiis esse deprehendant, veluti quæ omnem ulteriorem progressus obstruant viam, ipsum illud contigit iis, qui laboris minuendi gratia instrumentorum cervices nerveis distinxere jugamentis. Indicio sint quantumvis excellentes seculi nostri musici, quibus si vel barbiton, vel testudo tactibus, ut vocant, destituta detur tractanda, ne quidem eam attingere audent, vel si audeant, ludibrio sunt auditoribus. Ut tamen imperitiæ suæ patrocinentur, serio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ſcrio affirmant, non poſſe abſque his adjumentis inſtrumenta hæc commode pulſari, & quia ipſi id efficere nequeunt, neminem unquam id potuiſſe audacter contendunt. Verum an non ſatis illi refelluntur violinæ hodiernæ exemplo, quæ licet iſtiuſmodi careat adjumentis, ſatis tamen ſcite à nonnullis tractatur? An dubitemus utrum id ipſum fieri poſſit in iis inſtrumentis quæ pluribus conſtant nervis? Eſto id quam maxime difficile & laborioſum, ſed quid demum pulcrum in rebus quod abſque labore aſſequi poſſimus. Ecqua præterea eſt difficultas, quæ non facile ſuperetur, ſi eam certa merces & laus non vulgaris ſubſequatur? Debuerat eos excitare vulgaris muſicæ ſimplicitas, quæ tanta eſt, ut in uno diatonico genere totus hodiernus conſiſtat cantus. Et tamen in hoc genere etiam indocti olim excellebant. Sane quamdiu nerveis iſtiuſmodi compedibus colla inſtrumentorum adſtringuntur, fieri non poteſt ut vel chromaticum, nedum enharmonium genus reviviſcat. Si velimus ut antiquæ muſicæ ſplendor in ſeculum tranſeat, relegandi ſunt iſti obices quibus toni diſtinguuntur, conſtruendæque ſunt inſtrumentorum cervices vel ex ebore, vel ex alia candicante materia, quæ commode patiatur, ut lineis diverſi coloris inſcribantur non ſolum tonorum ſed & hemitoniorum & dieſium intervalla, id ſi ea quam veteres tradidere fiat ratione, & inſuper dociles & arguti acceſſerint digiti, utique diuturna & continua exercitatio præſtabit quod hodierna nequeunt præſtare inſtrumenta. Stultum eſt credere vel affirmare, non poſſe tam minuta intervalla

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

valla digitis frequentari, si enim toni exacte possint inveniri, utique etiam invenientur hæmitonia & minora intervalla; nec difficilius hæc quam istos reperire, unum quippe si noveris, jam omnes noveris. Quod vero inquiunt, etiam hoc tempore reperiri organa & clavicymbala, ut vocantur, quæ hemitonia tonis permixta habeant, illud quidem verum, hæc ipsa tamen ostentationi potius quam utilitati inserviunt, cum non habeant continuam seriem, ita ut ab uno genere transitus fieri possit in aliud, quod tamen in plerisque veterum instrumentis factum fuisse notius est, quam ut explicari debeat. Passim apud musicos veteres videre est, ita hemitonia & dieses dispositas fuisse, ut à diatonico subito transitus fieret ad chromatium & enarmonium purum, quod hodierni musici quia ipsi præstare nequeunt, nunquam factum esse contendunt. Serio itaque affirmant, veteres nunquam chromaticum aut enarmonium purum exhibuisse, sed, quod & ipsi faciunt, permiscuisse hæc genera diatonico. Verum adeone nobis stulte simus amici, ut aliorum ex nostro captum metiri velimus, totque simul seculorum & gentium communem consensum, non tantum in dubium vocare, sed & palam oppugnare, idque nulla alia de causa quam ut hodiernæ vitiis blandiamur musicæ? Sciant attamen qui de antiqua sic judicant musica, non hic substitisse veterum artificium, utpote qui non instrumentis solum, sed & in cantu vocis, non chromaticum tantum, sed & enarmonium genus adeo distincte expresserint, ut si vel in minimis aberrarent intervallis, etiam à plebe &

totis

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

totis exploderentur theatris. Quamdiu dithyrambica viguit poësis, & chori Euripidis & odæ Pindari & similium cantatæ fuere, tamdiu etiam non defuere qui tria illa musicæ genera pura & impermixta non instrumentis modo, sed & viva voce exprimere potuerint. Toto itaque illo tempore principem inter musicos locum tenebant dithyrambopœi, nec ullum aliud ἀκριβέστερον ἁρμονίας κριτήριον habebatur, quam si cantores adeo in arte sua essent gnari, ut etiam hoc promittere auderent, sese ne in minima quidem peccaturos diesi, ὥστε μηδὲ τὴν ἐλαχίστην ἐν τοῖς διηγήμασιν δίεσιν ἀγνοεῖν, ut loquitur Dionysius Halicarnassensis. Tempore demum Domitiani & postea mutata linguæ Græcæ pronuntiatione, etiam antiqua cantandi mutata fuit ratio, tum præcipue querelæ auditæ de difficultate chromatici & enarmonici generis voce exprimendi, reclamantibus nempe syllabarum modulis, tum quoque omisso chromatico & enarmonio puro, passim & ubique tria ista genera invicem permisceri cœpta, tum denique omisso vocis cantu tota vis musicæ ad organicos translata, donec tandem etiam in illis antiqua deficeret musica.

Obiter hæc attigisse sufficiat. Neque enim in brevi hoc scripto propositum nobis est ea explicare, quæ ad harmoniam ejusque genera & proportiones proprie spectant, cum multi etiam ad fastidium lectorum fuse & prolixe pleraque ferme sint persecuti. Sed cum in cantu non tantum consideranda sit harmonia, sive sonorum & concentus ratio, verum etiam rythmus sive concinnus carminis motus, & insuper

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

diſtincta & elegans verborum enuntiatio, utrumque vero adeo hoc tempore negligatur ac ſi nihil ad muſicam pertineret, non inutilis forſan hæc noſtra erit opella, ſiquis non præoccupato ea quæ ſcribimus perpenderit animo. Nec tamen intempeſtivi ut ſpero videbimur, quod ad reducendum chromaticum & enarmonium cantum plurimum valere exiſtimemus, ſi auferantur jugamenta iſta nervea à cervicibus inſtrumentorum; hoc enim ſi fiat, & labor adſiduus pervicerit, ut etiam minuta iſtæc intervalla digitis frequentare aliquis poſſit, facilius etiam ſubſequetur vox nervorum æmula.

Sed & hoc quoque inſtrumentis accedet utilitatis, ut tonos inflectere poſſimus, quod in pleriſque hodiernis inſtrumentis, quæ fixos & immobiles habent tonos, neutiquam fieri poteſt, ut mirum non ſit tam male hoc tempore organicæ cum vocali convenire muſica.

Nec tamen hæc eo à me dicuntur, quod inſtrumentorum ſeu vocis flexiones ſeu plaſmata, velut præclarum quid ſuſpiciam, quin potius, ſi libere loqui liceat, nihil mihi ineptius videtur infinitis iſtis flexionibus, quantumvis eæ liquido formentur gutture, & miror inter Italos tam multos reperiri, qui ex frequentia & prolixitate plaſmatum cantus præſtantiam metiantur. Olim longe aliter, quippe, ut ex Cicerone conſtat, etiam plebs & multitudo ipſa reclamabat, ſi flexiones nimium crebro fierent. Non quidem negari poteſt eas ſi ſint breves & apte cantui inſerantur, nonnihil conferre ornamenti, verum quis eſt qui neſciat etiam ipſa, ſi nimia fuerint, ſordeſcere ornamenta? Summæ

pulcritu-

pulcritudinis indicium eſt nullo egere ornatu; huic proximum egere quam minimo: ubique verò egere, id demum ſignum deformitatis certiſſimum. Cantum ego libenter velim ſimilem iis matronis, quibus nihil decedat, etiamſi univerſum deponant mundum muliebrem, veluti à natura conſecutis quod quovis adſcititio cultu ſit præſtantius. Non poſſum idcirco probare longas & perpetuas iſtas vocis flexiones, quibus non verborum tantum ſenſus, ſed & ipſum carmen ita exſtinguitur, ut neque cantus rationem & ſignificationem unquam percipere poſſis. Sive Italos, ſive Gallos audias cantantes, nihil niſi plaſmata audias, in iis ſolis totam expendunt vocem. Eſt tamen inter utroſque magna differentia, Galli quippe breviora, ſed magis frequentia amant plaſmata, ita ut in ſingalis pene ſyllabis vocem flectant. Itali longioribus utuntur flexibus, unde ridentur à Gallis, veluti qui in uno formando plaſmate utrunque exhauriunt pulmonem. Galli præterea in ſuo cantu rythmum magis obſervant quam Itali, unde fit ut apud illos complura occurrant cantica quæ concinnos & elegantes admodum habeant motus; verum eo laborant incommodo ſeu vitio potius, quod quanto ſæpe elegantior ſit rythmus, tanto minus verborum ſenſus percipiatur. Itali & Hiſpani verborum magis obſervantes, ſingula vocabula longe proferunt diſtinctius, ſed rythmum ſæpe negligunt, quod ſi hujus velint habere rationem, nihil eorum quæ canunt intelligas.

Obſervatu dignum eſt, tota ſæpe Italorum cantica conſtare ex ſimplici verborum pronun-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

tiatione, & ex plaſmatis, ita ut vere non canant, niſi demum cum plaſmata faciunt. Galli ſemper quidem canunt, ſed ſi efficere velint ut verba intelligantur, jam rythmi ſeu cantici motum penitus deſtruunt. Fieri enim non poteſt, ſi ſyllabarum in cantu non obſervetur quantitas, ut verba percipiantur, & ſenſus carminis auditoribus innoteſcat. Olim à totis theatris explodebantur muſici & cantores, qui vel in una peccarent ſyllaba: quis vero noſtra hac tempeſtate non merito rideat, ſi quem ea audiat cantantem, quæ poſtmodum interpretari neceſſe eſt, quod tamen in Gallorum cantu ſæpe videre eſt, quando peracto cantico hæc nimirum addunt, *quæ cecini hæc ſunt?*

Quapropter ſiquis ſinceram & genuinam velit excolere muſicam, huic vitandæ ſunt omnino intempeſtivæ iſtæ vocis flexiones, quibus non tam ornatur quam diſcerpitur vera cantuum ratio. Quantumvis enim brevia fuerint plaſmata, ſemper tamen illa officiunt, non verborum tantum intellectui, ſed & rythmo, id eſt formæ & figuræ canticorum: quæ utraque ſi tollantur, perit omnis carminum poteſtas, nihilque præter inanem & omnis ſignificationis expertem ſupererit ſonum. Quare nequeo ſatis mirari eos, qui veteris muſicæ inopiam & ſimplicitatem rident, hoc quoque inter ſua retuliſſe argumenta, quod ornamentis deſtituta fuerit, iſtis nempe plaſmatis & flexiunculis vocis, quibus uſque adeo hodiernus redundat cantus, ut præter iſtæc frequentamenta vix quidquam aliud contineat. Sane qui hæc reprehendunt, illi dum veterum inſectantur inſcitiam,

produnt

produnt ſuam. Quamdiu recta apud Græcos & Romanos canendi conſtitit ratio, tam diu exploſa fuere quælibet longiora plaſmata; non quod illa minus ſcite ac nunc fiat effingere poſſent, aut quod faucium obſtaret aſperitas, cum etiam complures barbaræ gentes vel ſola natura magiſtra vocem inflectere, criſpare, & in varios deſtringere didicerint gyros, ſed quod intellectus verborum & forma carminis hac ratione penitus deſtruatur. Non eſt itaque quod quiſquam miretur nulla alia admiſſa olim fuiſſe plaſmata niſi brevia tantum, idque in iis ſolum ſyllabis, quæ diphthongos continerent aut duplices vocales, quæque quod ſpatium & ornandi opportunitatem voci concederent, ea propter accentu circumflexo notabantur. Nam cum accentuum rationem à muſicis acceperint Grammatici, ut alibi oſtendimus, non eſt difficile colligere quodnam illorum in prima origine fuerit officium. Nempe cum ad moderandam in pronuntiatione vocem illi fuerint adhibiti, vox autem legentium aut loquentium ultra diapente ſeu tres tonos cum dimidio ut plurimum non excurrat, utilem ſane præſtitere operam apponendo accentum gravem ſi vox eſſet deprimenda, acutum ſi acuenda; circumflexum vero ſi eadem longius producenda & modica flexione mollienda aut exornanda eſſet. In ſimplici quidem lectione aut recitatione reprehendebantur plaſmata ſeu flexiones nimis conſpicuæ, in cantu vero cum major detur libertas, non impune tantum, ſed & cum plauſu eædem adhibebantur, dummodo verborum non officerent intellectui, lexque metrica & forma rythmi inviolatæ

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

latæ perſtarent. Hic modus & hæc ratio tandiu ſubſtitere, quamdiu vetus & germana ſubſtitit muſica. Poſtquam vero Græci Latinique ſermonis mutata fuit pronuntiatio, tum demum cantus verborum cœpit negligi, tum quoque pulſo vocis cantu introducta eſt muſica organica, tum denique plaſmatis theatra & pulpita perſonare, quæque prius riſum & indignationem movebant, illa ipſa plauſu & admiratione ab omnibus fuere excepta, deficiente nempe jamdudum eo, quod omnibus iſtis ornamentis longe eſſet præſtantius. Factum quidem non penitus improbo, neque enim multum reprehendas mulierem annos & ingratam ſenectam fuco aliiſque formæ lenociniis occultantem; verum iſtos omnino damnandos eſſe exiſtimo, qui hac noſtra ætate futilibus his adeo ſe addixere blandimentis, ut ipſum muſicæ corpus veraque ejus pulcritudo nuſquam, ſupervacua vero iſtæc paſſim & ubique compareant ornamenta. Faceſſant igitur iſtiuſmodi ἀσματοκάμπται, nam certe quis ſine riſu audiat cantores, quando nulla rythmi, nulla ſyllabicæ quantitatis, nulla denique veræ pronuntiationis habita ratione, tam longa & lata eructant plaſmata, ut non decies tantum, ſed & quinquagies eaſdem aliquando repetant vocales, adeo ut præter AAAAA & OOOOO nihil omnino aliud in univerſo illorum intelligas cantu. Non ſic veteres, qui ſi plaſmata paulo longiora eſſent formanda, non eaſdem repetebant literas, ſed diverſas breves, molles & pronuntiatu faciles copulabant ſyllabas, ita ut ſingulæ clare intelligerentur, & quantumvis celeriter vox flecteretur, ſalvus tamen

&

& integer perſtaret ſermo, quod ſæpe non in dithyrambicis modo videre eſt, ut in μεγαλοπόλιες Ἀθῆναι, ſed & in levibus cantiunculis *Animula*, *vagula*, *blandula*, & infinitis ſimilibus. Quod ſi cantus & ſermo iſte velox longius excurreret, veluti in iſto verſiculo Græco, Βρόμιε δορατοφόρε ἐνυάλιε πολεμοκέλαδε, aut Latino, *Perit abit alipedis animula leporis*, merito velut futilis explodebatur. Multo magis exploſi fuiſſent, ſiquis currente cantu, curſum inhibuiſſet ſermonis, & ita pigras & immobiles exhibuiſſet ſyllabas, ut non ad decem & viginti, ſed & ad longe plura, uti hodie fit, produxiſſet tempora. Conſtans & inviolata apud veteres ſemper ea permanſit lex, ut brevis quæque ſyllaba uno, longa vero duobus contineretur temporibus. Brevis itaque ſyllaba, vel brevem, vel nullum admittebat flexum, longiorem quidem longa, præſertim ſi diphthongum aut longam haberet vocalem, ſic tamen ut ſemper temporum & pronuntiationis ratio obſervaretur. Ridendæ itaque ſunt veloces & infinitæ iſtæ flexiones, quas ſuper unam vel literam, vel ſyllabam, ut vulgo loquuntur, hodierni formant muſici. Si velimus ut cantus aliquam in animos noſtros exerceat poteſtatem, efficiendum omnino, ut iiſdem quibus ſermo communis, iiſdem etiam ſermo cantu adſtrictus contineatur temporibus: id enim ſi fiat, jam quoque ſermo ille erit intellectu facilis ſimul & ornatus. Si enim is intelligi nequeat, utique ne ſermo quidem erit dicendus. Quanta vero veterum diligentia in proferendis in cantu ſingulis fuerit ſyllabis, ſi quis ſcire deſideret, adeat is cum

alios

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

alios tum præcipue Dionysium Halicarnassensem in Rhetoricis. Non sufficiebat distincta & intellectu facilis pronuntiatio, nisi ipsæ etiam syllabæ adeo molles & liquidæ essent, ut tanquam per declive labentia corpora adessent prius quam adesse sentirentur. Vitiosum imprimis habebatur, si non cum sono simul quoque sensus carminum perciperetur. Etiam plebeis displicuisset auribus, siquis nimium producendo aut corripiendo vel aliquam mutilasset syllabam, vel eandem in plures discerpendo partes produxisset; quod tamen nostro tempore laudant, & elegantiis hodiernæ musicæ annumerant, quando nempe post nigras ponuntur notæ minimæ, & per syncopationem, ut vulgo loquuntur, insequentes lacerantur syllabæ.

Verum non hæc tantum fugienda, sed ut paucis multa complectar, omnes istæ notæ quibus hodierna constat musica, veluti *maximæ*, *longæ*, *breves*, *semibreves*, *minimæ*, *semiminimæ*, *fusæ*, *semifusæ*, ut barbara nomina, ita quoque barbara & futilia sunt commenta. Si velimus ut cantus sit elegans & concinnus, efficiendum omnino ut singulæ syllabæ singulis respondeant notis. Cum vero nullæ sint syllabæ quæ non sint aut breves aut longæ, quarum ut jam sæpius dictum, breves uno tantum, longæ duobus constent temporibus, utique etiam nec plures, nec pauciores quam duorum generum adhibendæ sunt notæ, quæ nempe *minimis* & *semiminimis*, ut vulgo loquuntur, fere conveniant. Quis enim unquam somniavit syllabas vel octo vel sedecim vel triginta duorum temporum;

aut

ant etiam breves adeo, ut nullus eas possit exprimere sermo? Quis non rideat ad sonum unius syllabæ pigre adeo prolatæ, ut duo aut tres heroici versus recitari interea possint quam commodissime? Facessant itaque istæ elegantiæ, & siquo musicæ teneamur affectu, ut in cæteris ita quoque hac in parte veterum sequamur exempla. Si enim id effecerimus, ut rythmus & huic conjuncta verborum distincta enuntiatio seculo restituatur, ita ut prisca musicæ redeat forma & pulcritudo, omnia ista vulgaria hodierni cantus blandimenta, flexiunculæ inquam, teretismata seu frequentamenta, fugæ, syncopæ, cæteraque futilia artificia velut umbræ & nebulæ ad conspectum solis evanescent.

Multa quidem alia de antiquo & hodierno cantu dicenda supersunt, sed hæc præcipue digna nobis visa fuere, quæ reponeremus iis, qui de præsentibus nimis bene, nimis vero inique de præteritis sentiunt temporibus. Quod siquis & nostra legat & simul ea quæ alii de eodem scripsere argumento, simulque advertat quam contemtim ab iis habita antiqua fuerit musica, minus ut spero nostrum in laudandis veteribus studium, quam illorum in iisdem insectandis reprehendet intemperiem. Eo vivimus seculo, quo injuriam sibi fieri existiment fere plerique si valde laudentur antiqui. Et tamen frustra posteritatis exspectet suffragium, qui non satis benigne de majoribus senserit. Sed ut secula suis moribus relinquamus, illud monere operæpretium, si qui vel nunc, vel olim futuri sint, qui vel antiquam instaurare, vel hodiernam corrigere velint musicam, illis omnino necesse esse,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ut veterum in reducendis ad certam quantitatem ſingulis ſyllabis imitentur diligentiam. Revocandi quoque ſunt pedes metrici, quibus penitus hodierna deſtituitur muſica, ſi diſpondeum & tribrachyn ſolos exceperis; quorum hic menſura quadrata, alter tripla vulgo dicta exprimitur. Et tamen hi pedes non bene junguntur, cum prior adeo ſit tardus & piger, ut pene immobilis videatur; alter tam velox & volubilis, ut nulla ex eo facta olim fuerint carmina, niſi in choris Satyrorum, quibus nempe celeres iſtorum motus ſignificarentur. Mediæ itaque menſuræ deſunt in hodierna muſica, veluti iambi, trochæi, pæones, Cretici, & cæteri, ipſique quin etiam anapæſti & ſpondei. Fruſtra enim laborant qui & hos, & cæteros pedes ad vulgarem quadratam referunt menſuram, quamvis enim effici poſſit, ut hac ratione tempora quadammodo conſtent, motuum tamen formæ in arſi & theſi non conveniunt. Ne vulgarem triplam quidem, quadrato poſſis includere plauſui, quin ilico ejus virtus evaneſcat, ut jam antea monuimus. Iſtud itaque imprimis tenendum, non poſſe plauſuum rationem immutari, quin ſimul immutetur cantus. Si quis heroicos aut iambicos ſenarios, qui utrique ſex conſtant pedibus, ſex etiam abſolvat plauſibus, longe alia cantus emerget forma, quam ſi quis eoſdem verſus, conjungendo, more Græcorum, duos pedes, tribus abſolvat plauſibus. Eadem eſt ratio in cæteris carminum generibus, quorum cantus ſi ad ſimplicium pedum exigatur menſuram, longe alium habebunt inceſſum, longeque aliter ſonabunt, quam ſi hæc eadem ita à rythmopœis concinnentur, ut moveantur κατὰ διποδίαν vel ταυτοποδίαν, ejuſdem nempe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

pe generis pedes conjugando, sive etiam κατὰ συζυγίαν, quando dispares copulantur pedes. Cum itaque tanta sit pedum metricorum in cantu necessitas, omnino, si quo melioris musicæ affectu teneamur, istud efficiendum, ut illorum redeat usus, & ut singulis pedibus, sive illi simplices fuerint, sive è pluribus compositi, singuli aptentur plausus; hoc enim si fiat, & intellectus verborum & cætera quæ hodiernæ desunt musicæ, sponte sua subsequentur. Præcipuè vero hoc præstare possint Itali & Hispani, quorum linguæ cæteris vernaculis aptiores habent numeros, cum admodum in illis rarum sit, ut positio seu duarum pluriumve consonantium concursus, longam non efficiat syllabam; insuperque quod monosyllabicarum non usque adeo laborent dictionum multitudine. Scio quidem non admodum felices fuisse labores eorum, qui hactenus inter Gallos & Italos antiquas carminum instaurare conati fuere mensuras, sed neque rectam illi, ut monuimus, institere viam, & ad debellandam jam à tot seculis inveteratam consuetudinem, pauci nimis & inermes accessere. Congrediendum itaque fortius acriusque premendi sunt adversarii, nec scribenda tantum syllabicis alligata mensuris poëmata, sed & eadem hæc cantu armata musico producenda sunt in scenam, ut sic demum palam fiat, quanto inconditis potentiora sint illa quæ numeris adstricta vibrantur cantica. Nec desperandum etiamsi primus non successerit conatus, quis enim nesciat seculis opus fuisse priusquam & musica & aliæ Græcorum artes in summo constiterint culmine, sed persistendum donec nos profecisse intelligamus, cum nihil præclarum cito fiat, & pulcherrima quæque opera comitem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

habeant difficultatem. Ne itaque pudeat à simplicissimo metri incipientē genere, iambis videlicet aut trochæis, aliquantisper immorari; ubi vel unum hoc assecutus fueris, ut syllabæ exacte temporibus conveniant, ita ut distincte in cantu possint intelligi, jam vicisse te scias. Frustra vero fueris si te moveant aut cachinni aut etiam supercilium quorundam magistrorum capellæ, qui unum istud in rebus humanis fere maximum præclare tenent & exercent, ut magna autoritate possint nihil dicere. Si non possis vultum & personatam illorum severitatem ullis expugnare rationibus, facto sane poteris præstando illa quæ ipsi præstare nequeunt. Vincat itaque intentio, quam si in ipsum opus dirigamus, cedent theatra, cedet seculum universum, & qui prius risere, illi ipsi primi forsan erunt qui applaudant.

Ad reducendam vero rythmicam haud parum profuerit tympanotribas consulere, inter illos quippe non desunt, qui eam musicæ partem, quæ ad movendos facit affectus, longe melius intelligant & exerceant, quam ulli nostræ ætatis musici. Est quidem tympanorum pulsus μονότονος, non tamen μονοειδὴς, cum certis & rationi convenientibus adstrictus sit numeris, iambis videlicet, anapæstis, pæonibus, aliisque, quibus adeo hodierna destituitur musica, ut vix ullum audias cantum, cujus motus & numeri non sint adeo confusi & indistincti, ut neque formam, neque mensuram, neque ullam prorsus contineant significationem. Vidi qui adeo scite tympanum tractarent, ut quibusvis etiam adstantibus modo bellicos, modo languidos & meticulosos incuterent motus, alias vero versa vice ad saltandum instigarent, idque

sola

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

ſola mutatione rythmi & transferendo pulſum fortiorem à fine in principium cujuſq; menſuræ, mutando nempe iambos in trochæos, anapæſtos in dactylos, & pæonas quartos in pæonas primos. Si muſici noſtri id ipſum præſtare jubeantur, etiamſi cum omnibus ſuis accurrant inſtrumentis, erunt tanquam aſini ad lyram, & niſi ipſos imitentur tympanotribas, nihil omnino, ſi ſapiant, audebunt. Illi ipſi tamen indignantur, ſi muſicis accenſeantur tympanotribæ, in quo tantum abeſt ut cum illis ſentiam, ut potius exiſtimem, neminem eſſe bonum muſicum, niſi idem quoque bonus ſit tympanotriba. Nec pictor dici meretur qui graphidos eſt imperitus, nec muſicus, qui omnigenorum temporum menſuras & momenta in numerato non habeat. Hæc vero ut cognoſcantur, utile imprimis fuerit, ut qui muſicæ ſunt ſtudioſi, priuſquam artem canendi profiteantur, exerceant ſeſe in pulſandis tympanis, teſtis, crotalis, ſimilibuſque inſtrumentis, & in his velut rudimentis tamdiu immorentur, donec omnium pedum, id eſt omnium motuum formas & figuras adeo ſibi familiares reddant, ut eas abſque cunctatione exprimere & explicare poſſint quam exactiſſime.

Nec tamen velim ut cantorum in arte rythmica intra vulgarium tympanotribarum conſiſtat peritia, pauca enim ſunt quæ illi ſciunt, ſed quantumvis pauca, ſufficiunt nihilominus ad declarandam pedum rythmicorum poteſtatem; modo illa norint muſici, facilis erit progreſſus ad cæterorum motuum cognitionem. Diſcant itaque primo quantam ad convocandum & provocandum vim habeant proceleuſmaticus, orthius & dichoreus; ad gradum militarem, prout ille lentus, aut celer, aut

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

aut mixtus fuerit, ſpondeus, amphibrachys, ditrochæus, aliique; ad pugnam iambus, anapæſtus, iiſque vehementiores pæon quartus & pyrrichanapæſtus; ſi fugæ aut receptui ſignum fuerit dandum, præſto ſit trochæus, pæon primus, parapæon: denique quod in triremibus fieri ſolet, ut cum portiſculus ſeu hortator pedem dicturus eſt, formam & tempus motus, quem remiges teneant, præmittat; ipſum illud hic quoque obſervandum, efficiendumque ut pes ſive temporis menſura, imperatæ ſemper conveniat formæ. Nec contenti linguam caſtrorum & triremium edidiciſſe, tranſeant quoque ad orcheſtram, & audiant cymbala, crotala, aliaque id genus crepitacula, etiam illic unde proficiant invenient. Licet enim hujus ſeculi ſaltationes valde ſint ſimplices, ſi cum antiquis aut etiam hodiernis Aſiaticis conferantur, proderunt nihilominus, cum & motus & plauſus magis numeroſos & efficaces nonnunquam exhibeant, quam quibus noſtri temporis inſtructa ſit muſica.

Attamen ut hodiernam ſaltandi rationem paucis attingam, nihilo ejus melior inter Europæas gentes eſt conditio, quam muſicæ, cum ne ipſi quidem qui ſaltant aliquam motuum ſuorum poſſint reddere rationem. In Italia rari ſunt qui ſciant ſaltare, omninoque artem hanc, prout vulgo exercetur, non magni faciunt. Hiſpanorum tripudia apud multos in pretio ſunt. Ipſi tamen Hiſpani Mauris & Afris hac in parte palmam tribuunt, & ſiquid ſit in ipſorum ſaltationibus quod placeat, totum hoc illis acceptum ferunt. Reliqui Europæ populi, magnis quidem impenſis choreas inſtituunt, ſed ſi pompam & ornatum perſonarum auferas, vix aliquid quod afficiat ſupererit.

Etiamſi

Etiamſi dies noctеſque ſpectator adſideas, nihil niſi motum obſervabis, illum quidem aliquando non inconcinnum, ſed tamen nihil ſignificantem. Ubinam hodie ſaltatorem aut mimum invenias, qui ſolo corporis motu, quaſvis ſciat narrare hiſtorias, qui ſolo nutu & corporis geſtu non minus manifeſte, quam diſertus aliquis orator ſingula explicet, ita ut quot membra, totidem quoque linguas habere videatur? Seculis opus eſt priuſquam tale quid effici poſſet, attamen cum præclara quæque artificia à parvis orta ſint initiis, proderit ſi hyporchematum ratio reſtituatur, ut nempe non ad ſonum inſtrumentorum, ſed ad cantum vocis clare omnia verba exprimentis ſaltatores prodeant, ſingulaque quæ à cantoribus recitantur motu corporis exprimere conentur. Hoc ſi adſecuti fuerint, non dubitandum quin tandem etiam fiet ut abſque ſermone & interprete ſenſus ſuos explicent, & eoſdem quos veteres pantomimi extorqueant plauſus. Nec ſibi tantum ſed & ſcenicis proderunt & præcipue muſicæ, cujus hac noſtra tempeſtate adeo deploranda eſt conditio, ut neſciam à temporibus Caroli magni pluſne acceſſerit an vero deceſſerit huic ſcientiæ.

Ut itaque paucis abſolvam, cum in iis omnibus quæ moventur, nihil uſquam occurrat, cujus natura & conſtitutio ex ipſa motus ratione deprehendi fere non poſſit, in eo præcipue velim laborent noſtri temporis muſici, ut quoſvis rerum motus æqualibus diſcant imitari temporibus & numeris. Deſinant vero iidem impoſterum adeo ineptire, ut in ſolis gravibus aut acutis ſonis, aut etiam hemitoniis totam cantuum collocent poteſtatem, cum non ſonis, ſed rythmo, ſeu ſonorum

in

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

in ſua tempora aptæ diſtributioni, totum hoc debeatur, ſitque, ut jam non ſemel diximus, rythmus τὸ πᾶν παρὰ Μουσικοῖς. Clare hoc pateſcet ſi uſus pedum metricorum revocetur. Quantumvis illi ſint multi, nullus tamen eſt qui non alicujus rei motum & ſignificationem contineat: & viciſſim nullus poteſt fingi motus, qui non aliquo poſſit exprimi pede, ut dubium non ſit, quin ſi cadaveroſo pene ſeculi hujus cantui metrica & rythmica accedat ratio, ſimul quoque reviviſcant mirandi antiquæ muſicæ effectus. Quod ſi cui levia & minuta nimis hæc videantur monita, quam ut exinde magnum aliquid poſſit ſperari, per me quidem licet ut pro ſuo captu unuſquiſque arbitretur: ſciant tamen qui ſic exiſtimant ex his veluti elementis totam pendere & muſicam & poëſin, nec defuturam literatam poſteritatem, quæ miretur noſtra hac ætate, culta ſane ſi cum nonnullis quæ præceſſere ſeculis, adeo ignotas fuiſſe poëmatum leges, ut placuerint carmina ſine pedibus, ſine membris, ſine rythmo; quæque nihilo magis cantum admittant, quam quælibet incondita & omnibus numeris deſtituta oratio.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

de-
mus
usus
is illi
us rei
cissim
possit
cada-
ryth-
nt mi-
i levia
am ut
er me
arbi-
nis ve-
& poë-
n, quæ
m non-
tas fuisse
fine pe-
que ni-
uælibet
oratio,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

905643487

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL. 1.6.11